This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at http://books.google.com/

Ga 74 30

HARVARD COLLEGE LIBRARY.

Ga 74.30

Harvard College Library

FROM THE

CONSTANTIUS FUND.

Established by Professor E. A. SOPHOCLES of Harvard University for "the purchase of Greek and Latin books (the ancient classics) or of Arabic books, or of books illustrating or explaining such Greek, Latin, or Arabic books." (Will, dated 1880.)

Received 30 Jan., 1890.

DE

ANTONINO LIBERALI

DISSERTATIO PHILOLOGA

QVAM AD SVMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES AVCTORITATE AMPLISSIMI PHILOSOPHORVM ORDINIS IN VNIVERSITATE FRIDERICIA GVILELMIA RHENANA RITE IMPETRANDOS VNA CVM SENTENTIIS CONTROVERSIS DIE XXVII MENSIS IVLII ANNI MDCCCLXXXVI HORA XII PVBLICE DEFENDET SCRIPTOR

EVGENIVS ODER
BEROLINENSIS

ADVERSARII ERVNT

MATHIAS HEITZMANN
WERNER PFAV
ERNESTVS WALBE

BONNAE

TYPIS CAROLI GEORGI VNIV. TYPOGR.

MDCCCLXXXVI

Ga74.30

HARVARD COLLEGE
JAN 30 1890
LIBRARY.

Constantius Fund.

4t.

FRANCISCO BVECHELER
EDVARDO LVEBBERT
HERMANNO VSENER
S.

I

Antoninus postquam Alcidamantem filiam non Hermochari sed alii cuidam in matrimonium dare voluisse rettulit, pergit p. 202, 1 [1] *καὶ ἡ παῖς ἔθυεν ἐν τῷ τῆς Ἀρτέμιδος ἱερῷ· χαλεπῶς δὲ φέρων Ἑρμοχάρης ἐπὶ τῷ τούτου διαμαρτεῖν κτλ.* 'Ad *τούτου*' ait Kochius (p. 104 ed. suae [2]) 'intellege *τοῦ Ἀλκιδάμαντος*'. Itemque Bastius (ep. crit. ed. sec. p. 105), qui nimis dubie *τῷ τούτου διαμαρτεῖν* ita interpretatur, ut *τοῦ Ἀλκιδάμαντος* subaudito dicat: 'his exprimitur illius petitioni non esse satisfactum ab hoc' vel 'illum non obtinuisse apud hunc, quod optaret'. Hanc interpretationem falsissimam esse in aperto est. Immo *διαμαρτεῖν* hic ut sescenties 'assequi nequeo' significare statuamus necesse est. Ambigi vero potest ut opinor, num *τούτου* recte sese habeat. Etenim quae praecedunt si perlegimus verba, pronomen quo commode referatur, non invenimus, eoque interpretum natus est error. Quare istam difficultatem sic expedire oportet, ut *τούτου* paulo neglegentius et generalius dictum esse existimemus, velut Thucydides II, 78 cum Peloponnesiis rem non cessisse tradiderit, pergit *ἐπειδὴ καὶ τούτου διήμαρτον* i. e. cum hoc quod sperabant, excidissent. Sed *τούτου* quandoquidem subobscure nostro loco positum est, nescio an rectius *ταύτης* (*Κτησύλλης*) scribamus. Quod si tibi probetur, Alciphronis verba (lib. I ep. 29) haud inepte comparemus: *ἐγὼ δ' οὐ παρὰ μικρὸν ἡγούμην Μενάνδρου διαμαρτεῖν ἐραστοῦ.* fab. 1

Paulo post p. 202, 4 legimus *ἡ παῖς ... κατὰ θεῖον ἠράσθη*, quae vitiosa sunt. Nempe *κατὰ θεῖον* non modo ut Muncker putavit, fortasse falsum est (cf. Koch. p. 105), sed omnino nihil est. Esset aliquid *κατὰ τὸ θεῖον*, tamen ne sic quidem ullus homo Graecus locutus est. At omnibus usitatissima erant *κατὰ θεὸν* [3] vel *κατὰ θεόν τινα* vel *κατὰ δαίμονα* vel *κατά τινα δαίμονα*, in quibus

[1] Semper paginarum et versuum apponam numeros Westermannianae editionis.

[2] Antonini Liberalis transformationum congeries ed. G. A. Koch Lipsiae 1832.

[3] *κατὰ θεὸν* coniecit Muncker.

formulis animadverte sis collocationem pronominis diversam. Antoninus *κατὰ θεὸν* bis adhibuit (p. 213, 9 et 215, 2); *κατὰ δαίμονα* quater (p. 202, 7; 209, 1; 220, 32; 234, 29). Et saepissime apud omnes omnium temporum scriptores eae formulae leguntur e. g. Herod. VIII, 85; Aristoph. av. 544; Plato de legg. III p. 682 E et 689 D; Parthen. fab. 9 et 34; Conon. narr. 34 et 40; Luciani 34, 20; Aristid. p. 972, alibi. Unicus vero, quo ad traditam lectionem stabiliendam Verheykius abusus est, locus Aristoph. eq. 146 *προςέρχεται | ὥςπερ κατὰ θεῖον εἰς ἀγορὰν* a Cobeto (in variis lectionibus ed. sec. p. 358) dudum correctus est. Qua de causa apud Aristaenetum (lib. I ep. 10) codicis *κατὰ θῆον* non cum Sambuco (cf. Hercheri epistologr. Graec. annot. crit. ad p. 140, 26) et Diltheio (de Callimachi Cydippa p. 127 v. 2) in *κατὰ θεῖον,* sed in *κατὰ θεὸν* immutabimus [1].

Mendum haud ita rarum in verbis p. 202, 11 *χρωμένῳ δ' Ἑρμοχάρει ὁ θεὸς ἀνεῖπεν* detexit Nauckius (Bulletin de l'académie de St. Pétersbourg vol. VI p. 66 sq. 1863), qui vocem de oraculis sollemnem *ἀνεῖλεν* reduxit. Collegit vir doctissimus nonnullos locos quibus eadem confusio invenitur: Apollod. III, 15, 8, 4 [2]; Porphyr. de abstin. II, 29 [3]; Laert. Diog. I, 30, 106 [4]; Heliod. II, 36. Equidem nunc locum qui emendatricem adhuc exspectat manum, hisce addam: est Strabonis lib. VI, 9, 12 (p. 360 ed. Meinek.) *ἐπανερέσθαι ... τὸν θεὸν ... τὸν δὲ ἀνειπεῖν.* Corrigendum est *τὸν δὲ ἀνελεῖν.*

Venio ad ea, quae vario modo a viris doctis temptata sunt p. 202, 13: *οἱ δὲ θύουσιν ἄχρι νῦν Ἰουλιῆται μὲν, Ἀφροδίτῃ* [5], *Κτήσυλ-*

---

[1] Diltheius quidem l. l. p. 94 ann. 2, qui istum loquendi usum non accuratius persecutus est, apud Antoninum ubique *κατὰ θεῖον* pro *κατὰ θεὸν* reponendum esse censuit. Id quod reiciendum esse in propatulo est. Nam Suidas (s. v. *κατὰ θεῖον*) quo Diltheius innisus est, exscripsit scholia Aristophanea (eq. 146), in quae corruptam e poetae contextu intrusam esse lectionem non est cur miremur.

[2] Corr. a Fabero; at non huc pertinet, quod contra Nauckium moneo, Apollod. II, 8, 2, 5, cui loco *ἀντεῖπε* vox egregie convenit. Neque enim de simplici ibi agitur oraculo, sed de explanatione oraculi quam deus Temeni insimulationi opponit.

[3] Ab Herchero corr.

[4] Cf. Casauboni et Menagii in Diog. Laert. commentarios ed. Huebner vol. I p. 188.

[5] Quod editores premunt *Ἀφροδίτῃ* duabus virgulis in codice Palatino inclusum esse, quippe quod non a vulgari codicis distinctione abhorreat, nullius momenti est. Librarius ubi quid deletum vult, aliter agit; aut lunulis supra lineam positis utitur velut p. 225, 13 aut punctis; cf. p. 211, 6; p. 204, 15, alibi.

λαν ὀνομάζοντες· οἱ δὲ ἄλλοι, Κτήσυλλαν ἑκαέργην. Bastius *Ἀφροδίτῃ* ante *Ἰουλιῆται* collocavit, Perizonius autem *Ἀφροδίτην* emendavit, id quod Valckenarii, Hermanni, Schneideri [1] tulit assensum. Quam coniecturam si amplectimur, omnis ut suspicor, removetur difficultas, quae et a grammatica et a sensu in codicis scriptura sine dubio inest. Tradita verba Broenstedius (cf. Koch. p. 108 sq.) frustra defendit, qui ad *οἱ δὲ ἄλλοι Κτήσυλλαν ἑκαέργην* non modo *ὀνομάζοντες* sed etiam *θύουσι τῇ Κτησύλλῃ* subaudit. Accedit aliud. Scriptura si recte sese haberet tradita, *ὀνομάζοντες* ferri non posset, opus esset *ἐπονομάζοντες*. Falsum enim est Venerem deam ab Iulietis Ctesyllam appellatam esse, immo ita cognominatam fuisse diserte antea dictum est: *ἱερὸν παρὰ τοῖς Ἰουλιήταις ἐπώνυμον Ἀφροδίτης Κτησύλλης* [2]. Neque minus falsum quod in altero membro sequitur, ceteris Ceis Ctesyllam audisse *ἑκαέργην*; utrumque nomen etiam apud illos coniunctum fuisse me monere vix opus est. Ctesyllam vero ab Iulietis *Ἀφροδίτην Κτήσυλλαν*, a ceteris Ceis *Κτήσυλλαν ἑκαέργην* nominatam esse bene dici potuit [3].

Breviter verba p. 201, 29 *ὥςπερ ὅτε Κυδίππην Ἀκόντιος ἐξηπάτησεν* Hercherum suo iure exstirpasse [4] annoto.

Initio legimus *καὶ ἐγένοντο αὐτῷ ἐξ Ἀλθαίας τῆς Θεστίου Μελέαγρος, Φηρεὺς . . . θυγατέρες δὲ Γόργη κτλ.* ante filiorum nomina *υἱοὶ μὲν* excidisse ut statuam, perpetuus me commovet loquendi usus Antonini, qui in hac elocutione *παῖδες* vel *υἱοὶ* cum nusquam omittat — exempla in quavis fere narratione invenire licet — hic ubi filiis opponuntur *θυγατέρες*, certe non omisit [5]. Cf. p. 207, 16 *Αὐτονόου . . . ἐγένοντο υἱοὶ μὲν . . . θυγάτηρ δέ*; p. 215, 10 *ἔσχε δὲ παῖδας . . . καὶ θυγατέρα*; p. 219, 31 *ἦσαν δὲ αὐτῷ παῖδες . . . καὶ θυγάτηρ . . .*; *παῖδες μὲν* de quo eodem iure cogitari potest, quominus praeferam, vicinarum impedit me ductus litterarum. Nam *υἱοὶ μὲν* quam facile praeteriri potuerit, vide sis ipse: fab. 2

τῆς θεσΤΙΟΥ ΥΙΟΙ ΜΕΝ ΜΕΛέαγρος.

---

1 In ed. Nicandri p. 58 ann. 3.

2 Schneider l. l. *Ἀφροδίτης* sine iusta causa abesse mavult.

3 Ctesylla dea cuius natura e Dianae et Veneris naturis mista est, Semiticum illud numen esse videtur, quod cascis temporibus a Phoenicibus in oras et insulas maris Aegaei ex oriente terra translatum est. Conferas velim Useneri 'Legenden der heiligen Pelagia' p. XXII.

4 In Hermae vol. XII p. 317.

5 Idem de Antonino valet quod Hercher de Apollodoro statuit (in philologi vol. 14 p. 622) 'dass Apollodor so gut wie andere Spätlinge am formelhaften hängt'; cf. secundum caput huius diss.

p. 203, 9 Parcae Meleagrum tam diu quam fatalis ille stipes exstaret, in vita fore cecinere, *ἐφ' ὅσον ἂν ὁ δαλὸς διαμένει*. Novissimi Bastium secuti editores emendaverunt *διαμένοι*. At grammatica quin coniunctivum poscat, dubium non est. Neque enim optativus in re praeterita cum pronomine relativo et *ἂν* particula coniungitur, nisi aut iam praecessit optativus aut iteratio significatur (cf. Kuehner Griech. Gramm. II² § 594, 4. 4).

p. 203, 11 *πένθος... ἐγένετο παρὰ Καλυδωνίοις*, in his praepositionem, quippe quae accentu careat et puncto notata sit in codice, expungi librarius voluit, recte.

p. 203, 15 *αἱ δὲ . . . λέγονται πένθος ἐπὶ Μελεάγρῳ φέρειν*. In elocutione *πένθος φέρειν* quae prorsus barbara est, offendo. Dicebant quidem Graeci scriptores *πένθος ποιεῖσθαι* (cf. p. 218, 20 *μέγιστον ἐποιήσαντο πένθος*) aut *πένθος αἴρεσθαι* [1] (de quo cf. Lobeckii ad Soph. Aiac. 129 annotationem) aut *πένθος ἄγειν*. At *πένθος* cum *φέρειν* qui ita coniunxerit, neminem novi sane praeter Suidam, qui quidem satis simili modo *ἀνίαν φέρων* dixit (s. v. *Ἰάλεμος*); unde tamen Antonino cuius sermo satis purus et soloecismorum immunis est [2], tale quid imputare nolim. Tolerabilius *φέρεσθαι* medium sit, quod in Phalaridis qui vocatur epistula 97 cum *πένθος* sic copulatum esse (*τὴν ἀρετὴν τοῦ γονέως, ἐφ' ᾧ γε τὸ πένθος φέρεσθε*) e Bastii didici annotatione [3] (l. l. p. 109). Itaque donec aliquid melius repertum sit, auctor sim ut legamus *λέγονται πένθος ἐπὶ Μελεάγρῳ φέρεσθαι* [4]; *φέρειν* autem et *φέρεσθαι* saepenumero in codicibus confusa sunt. Cf. Cobeti nov. lect. p. 568 sq.

Unum in secunda fabella quantum video, superest: verba nonnulla si recte interpretatus sum, insiticia expellenda sunt. Perlegas velim alteram narrationis partem. Calydoniis maxime periclitantibus Meleager tandem auxilio venit. Sed *ἀναστὰς ἐπὶ τὸν στρατὸν τῶν Κουρήτων καὶ αὐτὸς ἀποθνήσκει*. Tum de fatali illo ligno eiusque natura quae causa mortis fuit Meleagri, sermo est: *ἐπέκλωσαν γὰρ ἐπὶ τοσοῦτον αὐτὸν ἔσεσθαι χρόνον, ἐφ' ὅσον ἂν ὁ δαλὸς διαμένῃ*. His optime annectuntur: *καὶ πένθος ἐπὶ Μελεάγρῳ μέγιστον ἐγένετο Καλυδωνίοις κτλ.* Sed codici si fidem habemus, haec intercedunt: *ἀπέθανον δὲ καὶ*

---

[1] Cf. elocutionem *νεῖκος αἴρεσθαι*, quae bis occurrit p. 209, 26 et p. 229, 23.

[2] Hercher l. l. p. 317 'durch eine Menge von Glossen ist die ursprüngliche Reinheit seines Stiles vielfach entstellt'; vide caput alterum diss.

[3] Absurde Kochius p 115 elocutionis *πένθος φέρειν* 'fontem' esse dicit Theocrit. XXVI, 26.

[4] Cogitavi de *φαίνειν* quoque, notum enim est *φέρω* et *φαίνω* millies confundi. Herodotus vero quem saepe imitatur Antoninus, dixit (III, 36 et 127) *ὕβριν, εὔνοιαν φαίνειν*.

οἱ ἄλλοι παῖδες Οἰνέως μαχόμενοι, quae quam alieno loco collocata sint, nemo non sentiet. Non bene quae praecedunt, praecedunt; non bene secuntur, quae secuntur. Imprimis vero *καὶ* particula offendit, quasi Calydonios de ceteris Oenei filiis non luxisse consentaneum sit. Quid multa? Primo hic eum deprehendimus glossatorem, cuius vestigia in quavis fere pagina Antoniniani contextus cognoscemus. Itaque de fratrum morte Meleagri in marginem e quo prodierit, annotatio denuo releganda est.

Pauca sunt, quae ad fabellam brevissimam profero[1]; p. 203, 28 sq. fab. 3
Neptunus iratus Hieracem *ἐποίησεν ὄρνιθα, ὃς ὀνομάζεται νῦν ἱέραξ*. Quod mire dictum est, quasi Hieraci novum nomen inditum sit. Excidit nisi fallor una vox: legebatur olim *ὃς ὀνομάζεται ἔτι νῦν ἱέραξ*. Id si amplectimur, et sententiae et loquendi usui Antonini satisfieri videtur. *Ἔτι* enim inserto, quod quam facile omitti potuerit apparet, et Hieracem pristinum retinuisse nomen significatur, et quo nihil magis Antoninus adamat, recuperamus, qui nusquam fere[2] *νῦν* solum, sed *ἔτι νῦν* vel *ἄχρι νῦν* vel *ἄχρι νῦν ἔτι* coniuncta scriptitavit. Invenimus autem *ἔτι νῦν* septies: p. 208, 15. 20; 209, 28; 217, 12; 218, 22; 228, 3; 234, 7; — itidem *ἄχρι νῦν*: p. 202, 13; 205, 22; 223, 32; 225, 9. 31; 228, 28; 233, 2; — denique *ἄχρι νῦν ἔτι* semel p. 203, 15. *Ἔτι* autem particula quoniam ll. ll. *νῦν* voculam semper praecedere solet, nescio an p. 228, 3 quo *νῦν ἔτι* legitur, usitatam verborum collocationem restituere debeamus.

In extrema narratione p. 204, 1 sq. membrorum concinnitatem non sine consilio petitam quidem sed quodammodo turbatam animadvertas. Quam ut revocaret Fonteinius, omnia susque deque habens quomodo verborum ordinem audacissime immutaverit, apud Kochium p. 116 et Westermannum videre licet. Praesto est medicina multo lenior. Tenorem orationis una vox perturbat, qua oblitterata nulla salebra remanet. Sentisne, quo tendam? *Αὐτὸν* pronomen dele permolestum, omnia optime respondebunt. Additum est a quodam qui perspicuitati inservire sibi videbatur, lectore. Idem vitium alio loco apud Antoninum emendavit Knaackius[3] (analectis Alexandrino-Romanis p. 5 diss. Gryphiswald. 1880), qui p. 217, 7 *αὐτὴν* recte obelo notavit.

---

[1] p. 203, 20 typographi socordia *καὶ* praetermissum est; legamus necesse est *δίκαιος ἀνὴρ ⟨καὶ⟩ ἐπιφανής*.

[2] Semel *νῦν* solum legitur p. 210, 18, semelque *ἔτι* solum p. 218, 6, ubi fortasse melius *νῦν* inseremus: *ταύτης ἔτι ⟨νῦν⟩ μέμνηνται κτλ.*

[3] Idem saepius apud Apollodorum accidit; cf. biblioth. III, 6, 5 et III, 6, 8 (p. 95, 4 et p. 97, 1 ed. Hercher.) alibi.

fab. 4 p. 204, 15 lego cum Munckero et Westermanno ἀφ' ἧς pro ἐφ' ἧς ob usum scriptoris constantem; quamquam ὀνομάζεσθαι ἐπί τινος Graece dici potuit [1] (cf. Kuehner Griech. Gramm. II² § 483 I, 3, d), Antoninus in hac elocutione ἀπὸ adhibuit, cf. p. 207, 23 ἀπ' αὐτῶν ὠνόμασε τοὺς παῖδας; 223, 1 ἀπ' αὐτοῦ Μαγνησίαν προςηγόρευσαν; 228, 16 [2] Καῦνος, ἀφ' οὗ πόλις ἐστίν; 232, 29 Λυκίαν μετωνόμασεν ἀπὸ τῶν ... λύκων. Deinde ἐφ' in codice puncto notatum est quod cum admodum exiguum sit, nisi fortuitum sit, omnem dirimat controversiam.

Multum, sed ut opinor, frustra desudarunt viri docti in corrupto loco p. 204, 23 καὶ παρὰ τοῦτο πολλοὺς ἀπολέσθαι τὸν Φάλαικον. Ac ne Schneideri quidem commentum (l. c. p. 48 ann. 1) πολλοῦ ἀπολιπέσθαι τὸν Φάλαικον placet [3]: viam prorsus diversam ingrediendam esse contendo, nam illa verba spuria esse iudico, quae si ἀπολέσαι correxerimus (idem mendum p. 207, 14 codici illatum esse videbimus), restituta erunt. Dicere autem voluit glossator tyrannum in illa seditione a civibus interfectum esse, id quod tam perverso modo dixit, ut is qui ea legit, etiam sententiam contrariam intellegere possit. Neque magis veritus est Phalaecum ita bis morientem facere [4], rudi autem modo per καὶ παρὰ τοῦτο, quod apud Antoninum alibi non legitur, pannum suum genuinis verbis assuit.

p. 204, 25 legimus ἐμποιῆσαι ἀντὶ τούτων δ' εὐνομίαν κτλ.; δὲ particula pristinam sedem deseruit, quae post ἐμποιῆσαι fuit. Id quod tribus confirmatur causis. Prima, quod ἐμποιῆσαι opponitur παῦσαι praecedenti infinitivo; altera, quod δὲ quarto enuntiationis loco ab Antonino nusquam collocatur; tertia, quod transpositione probata hiatum quem rarius scriptor admisisse censendus est, facile vitamus [5].

---

[1] Ab Herodoto structuram mutuati sunt alii velut Arrianus; cf. Grundmanni 'Quid in elocutione Arriani Herodoto debeatur' diss. Berol. 1884 p. 68.

[2] Quae tamen in suspicionem vocabo, cf. p. 25 diss.

[3] Dubitationem quandam inicit medialis forma (cf. Dindorf. thes. vol. II p. 1525); Schneideri autem lectione probata discrepantia cum iis quae Diana protulit, debilitatur quidem, tamen non infringitur; cf. p. 205, 2 sq. Φάλαικος ἐτυράννευε τῆς πόλεως, οὐδενὸς αὐτὸν δυναμένου κατὰ δέος ἀνελεῖν.

[4] Nonnulli eam sic expedire studuerunt difficultatem, ut postea Φαῦλλον exararent; Aelianus enim de nat. anim. XII, 40 dixit Ἀμβρακιῶται δέ, ἐπεὶ τὸν τύραννον αὐτῶν Φαῦλον (melius Φαῦλλον) διεσπάσατο λέαινα, τιμῶσι τὸ ζῷον αἴτιον αὐτοῖς ἐλευθερίας γεγενημένον. At Ovidius in Ibide (v. 500 ed. Merkel.) 'sitque Phalaeceae causa leaena necis'. Equidem eam discrepantiam minime removendam esse censeo, quamvis sane ii qui πολλοὺς inducerent, cur postea Φαῦλλον non in contextum reciperent, intellegere non potuerim.

[5] Buecheler ἀντὶ τούτων expungit. De hiatu accuratius infra agam.

p. 205, 8 *καὶ ποιησαμένους ἀγροτέρης εἴκασμα παραστήσασθαι χάλκεον αὐτῷ θῆρα*, in his forma medialis plane barbara est, quippe quae non significet[1] nisi 'prope se aliquid collocare' velut *μάρτυρα* similia; opus est, ut revocemus *παραστῆσαι*.

p. 205, 11 *πολεμήσαντας γὰρ αὐτῷ Κελτοὺς κτλ.* Nihil muto, codex *αὐτο* quidem praebet, sed ita praebet, ut in rasura fuisse *αὐτῷ* facile cognosci possit. In Celtorum vero cum Epirotis inita societate non offendo, offendo in Schneideri mutatione, qui scripsit *πολεμήσαντος γὰρ αὐτοῦ Κελτούς, καὶ Χάονας κτλ.*, in qua ut de codicis lectione nunc demum cognita taceam, cur Celtae debellati commemorentur, intellegi nequit, tum male gentium nomina disiungi apparet.

p. 206, 6 *τὴν μὲν αὐτοῦ μητέρα*, necesse est reflexivum cum Ver- fab. 5
heykio revocemus, quod etiam p. 204, 20 in *κατὰ τοὺς αὐτοῦ χρησμοὺς* restituendum est. A regula enim quam Graecos scriptores in universum secutos esse primus Krüger[2] animadvertit, qua 'personalis' pronominis genetivos non inter articulum et substantivum ponerent, ne Antoninus quidem recessit[3]. Idem ad Apollodorum valet, apud quem velim emendes III, 5, 7, 2 (p. 91, 6 ed. Herch.) *τὴν αὐτοῦ γυναῖκα*; ibi legendum est *τὴν γυναῖκα αὐτοῦ* aut *αὐτοῦ τὴν γυναῖκα*, utraque enim collocatio reperitur; cf. III, 4, 4, 3 (p. 87, 1 et 7).

p. 206, 14 sq. *ὁ δὲ . . . ηὔξατο σὺν ἑαυτῷ πάντα ἀφανισθῆναι. Ζεὺς δὲ μετέβαλεν εἰς ὄρνιθας.* Obiectum quod ad *μετέβαλε* pertineat, aegre desideramus, quod neque e prioribus subaudiri potest et a scriptore cui nihil magis cordi est quam metarmorphosis, hoc loco certe haud omissum est; cf. p. 203, 13; 208, 4; 209, 27; 210, 14; 212, 2; 215, 18; 219, 10; 220, 14; 232, 32. Itaque nisi pro *πάντα* exarare praeferes *πάντας*, *αὐτοὺς* post *μετέβαλεν* suppleri oportet.

p. 206, 26 in sextae fabulae limine *πρόσθεν ἢ φανῆναι Κέκροπα* fab. 6
τὸν γῆς verba recte si vidi, obelo notanda sunt. Interpolationis gravissimum indicium est, quod quibus temporibus homines quorum fata narrantur, floruerint, Antoninus nusquam referre solet[4]. Narra-

---

[1] Ceteris videlicet significationibus exceptis.

[2] Griech. Sprachlehre I⁵ § 47, 9, 12 et II⁵ § 47, 9, 5.

[3] En exempla omnia, in quibus duodecies genetivus articulum praecedit: p. 202, 26; 204, 22; 206, 31; 207, 3; 208, 5; 215, 26; 216, 14. 26; 219, 8; 220, 30; 227, 12; 234, 4; — undecies pronomen post substantivum invenitur: p. 202, 8; 203, 12. 29; 207, 8. 20; 213, 27; 215, 24; 218, 18; 220, 7; 221, 11. 17. Cf. etiam Useneri l. c. ad p. 6, 10 *τῶν αὐτῆς ἐραστῶν* '*αὐτῆς* hätte Jakob nicht innerhalb des Artikels gesetzt'.

[4] p. 229, 10 quae tradita sunt *καὶ ἐγένετο ταῦτα πολὺ πρὸ τῆς Ἡρακλέους στρατείας* ob eandem causam suspecta.

tiones vero ad unam fere omnes sic incipiunt: *ἐγένετο* vel *ᾤκει* vel *ἐβασίλευσε* hic ille in hac illa terra ne *ποτὲ* quidem addito. Deinde *φανῆναι* vox ab usu loquendi abhorrere videtur scriptoris, qui dixit sane p. 237, 25 *ἐφάνη . . . ἀλώπηξ* et p. 212, 25 *ἐφάνη . . . χρῆμα λέοντος*[1], de hominibus autem non adhibuit. Porro non sine offensione *τὸν γῆς* est, quandoquidem Cecrops non *ὁ Γῆς* i. e. deae filius fuit, sed *αὐτόχθων* (Apollod. III, 14, 1), cuius loco Graeci et *γηγενὴς* (de Cecrope Diod. Sic. I, 28) et *γῆς ἐκπεφυκὼς* (Eur. Ion. 542) dicebant: eos *ὁ γῆς* quoque dixisse non inveni. Causa autem cur additamentum glossatori haud superfluum visum sit, in aprico est. Periphas enim cum in regum Atticorum quorum primum Cecropem fuisse vulgo comminiscebantur (cf. Apollod. l. c.), laterculo deesset, interpolator sic eam difficultatem removere conatus est, ut Peripham vetustissimo vetustiorem esse annotaret. Ceterum praeterire nolim p. 224, 28 glossema exstare, quod eadem ratione (per *πρὶν ἤ*) agglutinatum est scriptoris contextui.

p. 207, 2 legimus: *Ζεὺς δὲ νεμεσήσας ἐβούλετο μὲν . . τὴν οἰκίαν κεραυνῷ συμφλέξαι, δεηθέντος δ' Ἀπόλλωνος μὴ αὐτὸν ἀπολέσθαι πανώλεθρον, ἐπεὶ περισσῶς αὐτὸν ἐτίμα, τοῦτο μὲν Ἀπόλλωνι δίδωσι, Ζεὺς δ' ἐλθὼν κτλ.* In quibus duo vitia eluenda sunt. 'Accusativus cum infinitivo' post *δεῖσθαι* non collocatur, nisi infinitivi 'subiectum' idem 'obiectum' verbi 'regentis' sit, quod vocatur[2]. Itaque pro *ἀπολέσθαι* una exstincta litterula rectius *ἀπολέσαι* exarabimus (cf. *δεηθεῖσαν καὶ αὐτὴν ὄρνιθα ποιῆσαι* v. 8). Alterum mendum perturbata distinctione illatum est, quod qui uno tenore verba leget allata vel invitus ut opinor, corriget; nam aut egregie fallor, aut ita scripsit Antoninus: *δεηθέντος δ' Ἀπόλλωνος μὴ αὐτὸν ἀπολέσαι πανώλεθρον, ἐπεὶ περισσῶς αὐτὸν ἐτίμα, τοῦτο μὲν Ἀπόλλωνι δίδωσι Ζεύς· ἐλθὼν δ' εἰς κτλ.* Qua mutatione *Ζεὺς* eum obtinet locum quem obtinere consentaneum est, cedit ex illo quo permolestum est. Simili autem modo ad finem sententiae subiectum positum est p. 232, 22 sq. *ἐπεὶ δ' αὐτὴν ἐξήλασαν ἄνδρες βουκόλοι, ὅπως ἂν αὐτοῖς οἱ βόες ἐκ τῆς κρήνης πίωσιν, ἀπαλλάττεται καταλιποῦσα τὴν Μελίτην ἡ Λητώ.*

fab. 7 Nulla peius quam fab. 7 aetatem tulit: tot cuiuslibet generis additamentis et emblematis abundat, quae pro virili parte detegere et radicitus tollere studebimus. Atque levioris quidem momenti

---

[1] p. 222, 19 *φαίνεται* quod legimus, in loco spurio legitur, de quo infra agam.

[2] Cf. Kuehner Griech. Gramm. II² § 473, 2, 4.

est, quod p. 207, 17 *καὶ* quod ante *Ἄνθος* collocatum est, tolerari non potest, quippe quod Antoninus aut repetiisset — hoc ei usitatissimum est — aut omnino nomina *ἀσυνδέτως* enumerasset; cf. p. 202, 18. 20.

p. 207, 24 de nominis Erodii veriloquio quae proferuntur *ὠνόμασε* ... *Ἐρωδιόν, ἐπεὶ αὐτὸν ἠρώησεν ὁ χῶρος* nihili sunt. Xylander [1] ea sic vertit: 'Erodium appellavit, quod ipsum destituisset terra'. Refragantur *ἐρωῶ* vocis et significatio et structura [2]. Loquendi satisfecerimus usui, si exarabimus: *ἐπεὶ αὐτὸς* (i. e. Erodius) *ἠρώησεν τοῦ χώρου*, i. e. 'quod ille agrum deseruit'. Xylander vero qui vulgatae lectionis hodie unicus fons est [3], codicis scripturam suo Marte [4] emendasse videtur.

Quo longius progredimur, eo peius narratio mulcata est; igni et ferro opus est, ut in genuinum statum fabellam restituamus. Atque in glossarum serie quas enumeraturus sum, prima invenitur p. 207, 27, ubi Anthus cur iterum tradatur Autonoi filius fuisse, intellegi nequit. Nempe repetitiones reperiri apud Antoninum [5] ut concedamus, *τοῦ Αὐτονόου παῖς* postquam de ceteris Autonoi liberis sermo fuit [6], tam odiosa et permolesta ratione ad Anthum additum

---

[1] Cf. Koch. ed. p. 63 infra.

[2] *ἐρωῶ* Homero maxime acceptum postea a poetis Alexandrinis usurpatum est. Significat autem primum transitivo sensu 'depellere, detinere alqm. ab aliqua re', deinde intransitivo modo 'profundere, cedere, desistere de aliqua re', qua in significatione apud Homerum *ἐρωεῖν* non habet nisi genetivum; apud Theocritum vero XIII, 74 et XXIV, 101 etiam accusativus sequitur. Unde eum Antonino vel Boeo quem compilavit prior, imputare cum scriptor *ὀρνιθογονίας* vir vere Alexandrinus fuerit (cf. Knaack. l. c. p. 3), fortasse non temerarium sit. Itaque *ἐπεὶ αὐτὸς ἠρώησεν τὸν χῶρον* si quis scribere malet, equidem haud repugnabo. Buecheler vero sub *αὐτὸν* nomen verbumve aliud latere suspicatur.

[3] E codice Palatino duo illa folia in quibus fabulae 6, 7, 8 exaratae erant, post Xylandri aetatem evulsa sunt.

[4] Ipse dixit in annotatione ad fab. 10 p. 315 ed. suae Antonini, quae prodiit Basileae 1568, 'multa passim perspicue depravata ex ingenio ac sensu correxi: quae omnia annotare non erat operae pretium'. In annotatione vero quam ad nostrum locum scripsit, legimus: 'ego *αὐτὸν* legi et *λειμῶνα* pro *χειμῶνα* reposui'; quibuscum conferas, quae ad *οὕτως* (p. 208, 3) annotaverit: '*οὕτω* legi, cum reperirem *οὔπω*'. Quid ergo supra invenerit, in ambiguo relictum est.

[5] De quibus altero capite diss. agam.

[6] Mirum est de Anthi nominis veriloquio satis perspicuo nil antea proferri, id quod fortasse compilatoris neglegentiae tribuendum est.

est, ut interpolationem statuere quam corruptelam [1] malim, praesertim cum paulo post (p. 208, 5) simillimum redeat emblema *αὐτοῦ ὁ πατὴρ* quod non emendare [2] sed eicere viri docti debuerunt.

Sed intercedit tertius locus adulterinus p. 207, 31 *καὶ ὁ θεράπων τοῦ παιδός*, quem insiticium esse digito ut ita dicam, prava sedes monstrat. Ab eo verba inculcata sunt, qui de pueri pedisequo (cf. p. 208, 10) quid Antho maxime periclitante fecerit, non referri aegre tulit. Nos p. 220, 7 et p. 221, 18 ubi idem accidit, si comparamus, altissimum hic de famulo esse silentium prorsus non miramur.

Finis vero narrationis tot additamentis vel plane superfluis vel prorsus alienis obrutus est, ut ex interpolatorum officina plura quam ex Antonini prodiisse constituamus necesse sit. Huc refero p. 208, 10 *καθὰ καὶ πρὶν ἢ μεταβαλεῖν αὐτοὺς ὠνομάζοντο*; etenim iis quae praecedunt verbis *τῷ αὐτῷ ἐποίησαν ὀνόματι καλεῖσθαι* omnia dicta sunt; cf. p. 220, 9 *ἐποίησεν αὐτοὺς ὄρνιθας τῷ αὐτῷ λεγομένους ὀνόματι*; p. 232, 9 *καὶ αὐτὴν ὁ Ζεὺς ... ἐκάλεσε ὁμώνυμον αὐτῇ Σμύρναν*; p. 216, 22 *Βύσσα δὲ τῷ αὐτῷ ὀνόματι καλεῖται καὶ ἔστι ... Λευκοθέας ὄρνις*; p. 212, 12 *Ἀηδὼν δὲ καὶ Χελιδονίς, ἡ μὲν ... θρηνεῖ, Χελιδονὶς δ' ἐγένετο* (ubi iniuria nonnulli in breviloquentia scriptoris offendere) *κτλ.* Ac ne hoc quidem fortuitum esse credo, quod utrumque ab Herchero sagaciter detectum emblema (quae inveniuntur p. 201, 29 et p. 217, 29) eodem fere modo incipit: prius a voce *ὥςπερ*, posterius a *καθάπερ*. Quid quod nisi fallor, in ipsa fabula septima altera invenitur interpolatio itidem genuinae orationi annexa? Dico verba *καθάπερ οὐδ' ὁ ἄνθος τῷ ἐφίππῳ*, quae viri docti frustra mehercle omnes explicare studuerunt. Quid *ἔφιππος* hic sibi vult? Frustra quaeris. Neque enim equite opus est qui depellat avem anthum: quam etiam ab equo pascente depelli ab Aristotele diserte confirmatur [3] (histor. animal. IX, 1;

---

[1] Primo de *Ἄνθος ⟨ὁ νεώτατος⟩ τοῦ Αὐτονόου παῖς* cogitavi; bene responderet ita Erodio, qui fuit *ὁ πρεσβύτατος*. Accedunt alia.

[2] In quo quot verba, tot menda inveniuntur. Pravum *αὐτοῦ* quod non habet, quo commode referatur; falsus est articulus, neque minus falsum quod *ὢν* participium deest. Tria haec omnia restituit Iacobsius qui correxit *Ἄνθου ὢν πατήρ*, cui emendationi ut quis subscripturus sit, admodum vereor. Contra verbis eiectis *ὄκνος* et *ὤκνησεν* haud disiuncta ut insequenti versu *κορυδὸς* et *ἐκορύσσετο* continuo sese excipiunt.

[3] Verba Aristotelica corrupta sic fere restituenda esse videntur l. l. v. 17 sq. *καὶ φοβεῖ ἐπιπετόμενον* (sc. *ἄνθον*) *καὶ ἐξελαύνει, ὅταν δὲ λάβῃ, κτείνει αὐτὸν ⟨ὁ ἵππος⟩*.

p. 609b 14. Bek.). Cum Mellmanno vero (de mutatis formis p. 71 Lipsiae 1786) ut ἔφιππον avem fingamus de qua apud ceteros omnes antiquos ne γρῦ quidem exstat, nemo serio suadebit. At enim etiamsi Mellmanni inventum concedemus, nihil lucrabimur, quoniam de ea avi 'equis fortasse amica' scriptor antea mentionem non facere non potuit.

Unus nunc locus in narratione recidendus restat qui est paulo antea p. 208, 12 de forma alterius erodii; verba enim ἧσσων γάρ ἐστιν ἱκανῶς τοῦ πελλοῦ omnino intellegi nequeunt, quandoquidem scriptor Anthum in pullam ardeam conversum esse ne verbo quidem antea [1] attigit. Interpolationis autem argumentum est quamvis leviusculum ut est exiguus libelli Antoniniani circuitus, ἱκανῶς a scriptoris sermone plane abhorrens. Restat, ut extremam fabulae partem qualem a scriptore formatam esse puto, totam et omnibus interpolationibus liberatam apponam: *Αὐτόνοον μὲν εἰργάσαντο*[2] *ὄκνον, ὅτι ὤκνησεν ἀπελάσαι τὰς ἵππους, τὴν δὲ μητέρα κορυδόν, ὅτι ἐκορύσσετο πρὸς τὰς ἵππους μαχομένη περὶ τοῦ παιδός· αὐτὸν δὲ τὸν Ἄνθον καὶ τὸν Ἐρωδιὸν καὶ Σχοινέα καὶ Ἄκανθον καὶ Ἀκανθίδα*[3] *γενομένους ὄρνιθας τῷ αὐτῷ ἐποίησαν ὀνόματι καλεῖσθαι, τὸν δ' ὀπηδὸν*[4] *τοῦ Ἄνθου κατὰ ταὐτὰ τῷ ἀδελφῷ τοῦ παιδὸς ἐποίησαν ἐρωδιόν· καὶ οὐ γίνεται σύνεδρος οὗτος*[5] *ὁ ἐρωδιὸς ἄνθῳ, ὅτι μέγιστα κακὰ ἔπαθεν ὁ Ἄνθος ὑπὸ τῶν ἵππων· καὶ ἔτι νῦν ὅταν ἀκούσῃ φωνοῦντος ἵππου, φεύγει μιμούμενος ἅμα τὴν φωνήν.*

Ad narrationis calcem ineptissimum scioli cuiusdam additamentum agglutinatum est p. 209, 14 ἐκ δὲ ταύτης (i. e. Sybaris fons ad Delphos qui profluxit) *καὶ Λοκροὶ πόλιν ἐν Ἰταλίᾳ Σύβαριν ἔκτισαν.* fab. 8
Non quod ut priores nonnulli editores in elocutione haesitem[6], sed

---

1 Apud Aristotelem l. c. sane legimus τῶν δ' ἐρωδιῶν ἐστι τρία γένη, ὅ τε πέλλος (lege πελλὸς) καὶ ὁ λευκὸς καὶ ὁ ἀστερίας καλούμενος.

2 Quod Bastio debetur; Xyl. εἰς τὸν subministrat.

3 Perperam Ἀκανθυλλίδα adhuc legebatur; etenim parum credibile Antoninum in nominibus propriis variasse, id quod librariis imputare malim, velut p. 209, 21 ubi Πίερος genetivus occurrit, cum antea Πίερος nominativus fuerit (ib. v. 18); vel p. 211, 6 Χελιδών, quamquam postea Χελιδονὶς legitur ter; deinde modo Πανδάρεος modo Πανδάρεως librariorum culpa.

4 Xyl. 'τὸν δὲ θεράποντα τὸν ὀπηδὸν τοῦ Ἄνθου', alteram vocem spuriam esse conicio.

5 Apollod. II, 1, 4 καὶ ἀπὸ ταύτης κτίζει Μέμφιν πόλιν, quae iniuria ab Heynio in suspicionem vocata esse Hercher qui complura illius in dicendo brevitatis collegit exempla, in philologi vol. VI p. 574 bene demonstravit.

6 Pronomen offendere non debet; legimus paulo antea p. 207, 18 τῷ δὲ

rem si spectamus, num paucioribus verbis plura possunt referri absurda? Quid quod ad Sybarim istum fontem non Locri sed Phoci habitabant? Quid quod Sybaris famosissima in Italia urbs non a Locris, sed ab Achaeis deducta est? Confusio vero illa Byzantino hercle ludi magistro digna quomodo orta sit — evolve quaeso Strabonem (lib. VIII p. 386; p. 547 ed. Meinek.), a quo haece de Sybari fluvio Italico ad quem cognomine oppidum condebatur, proferuntur: *ἀπὸ δὲ τῆς ἐνταῦθα* (i. e. in Achaia apud Buram urbem) *κρήνης Συβάριδος τὸν κατὰ τὴν Ἰταλίαν ποταμὸν ὀνομασθῆναί φασιν.*

fab. 9 p. 209, 21 *ὅτι* apud Westermannum et Kochium invenitur ex typographorum errore, nam *ὅτε* et codex veteresque exhibent editiones et per se necessarium est.

fab. 10 p. 210, 13 Minyades *ἐβάκχευον ἐν τοῖς ὄρεσι καὶ ἐνέμοντο κισσὸν καὶ μίλακα καὶ δάφνην*, quae Xylander nullo posteriorum adversante sic vertit (Koch. p. 66): 'in montibus bacchatae sunt pastaeque hederam smilacem et laurum'. Risum teneatis amici. At revera quid voci *νέμεσθαι* [2] faciam, nescio. Legendum esse censeo *ἐστέφοντο* pro *ἐνέμοντο*, id quod cum accusativo coniunctum esse non est cur miremur; cf. Alciphr. II, 1, 3; Anthol. Pal. IX, 363, 3; egit de hac structura Cobetus in var. lect. ed. sec. p. 51 [3]. Bacchae vero sanctarum earum arborum frondibus se redimire solent; cf. Eur. bacch. 106 *στεφανοῦσθε βρύετε βρύετε χλοήρει μίλακι καλλικάρπῳ*; ib. 177 *στεφανοῦν τε κρᾶτα κισσίνοις βλαστήμασι.* Et exstat inter fragmenta Nicandrea quidam versus (quem affert Schneider inter fragmenta incertae sedis p. 205; frg. 130):

βάκχοισιν κεφαλὰς περιανθέσιν ἐστέψαντο

quem huc trahere et quarto *ἑτεροιουμένων* libro e quo fabella Antonini hausta est, assignare haud temerarium [4] esse videtur. Lusus

---

Αὐτονόῳ τούτῳ et v. 25 *ουτος ὁ Ἐρωδιός*; vide etiam p. 204, 8; 223, 17; 218, 13; 222, 22. Itaque scribo p. 204, 17 *ταύτῃ τῇ πόλει.*

[2] Nempe ne significatio quidem vocis 'sibi impertire' huc bene quadrat.

[3] Itaque Hercher Achill. Tat. I, 55 (Script. erot. vol. I p. 43, 13) *Ἀπόλλων τὸ φυτὸν στεφανούμενος* structuram sine iusta causa temptavit.

[4] Legitur versus in scholiis ad Aristoph. eq. 408, ubi haec praemissa sunt: *βάκχος ... στεφάνης εἶδος, ὡς Νίκανδρος ἐν τῷ περὶ τῶν γλωσσῶν ἱστορεῖ. Φησὶ γὰρ οὕτως* (sequitur versus allatus). Itaque Schneider 'suumne aliquem an alius poetae versum apposuerit Nic., incertum est'. Animus inclinat, ut Nic. ipsius versum allatum esse putem; nimirum *φησὶ* additum est, quod ab *ἱστορεῖ* secernendum est. Colophonius vero raras voces quas in glossarum libris explicavit, ipse in carminibus adhibuit; cf. frg. 126 et 143. Recte autem si conieci, inde effici potest glossarum libros post *ἑτεροιούμενα* et *γεωργικὰ* esse scriptos, id quod rerum natura ferre videtur. Etenim Nican-

certe verborum quo Bacchae *βάκχοισι* coronari dicuntur, quam egregie huc quadret et Nicandro dignus sit, in aprico est.

p. 212, 1 *Ζεὺς δὲ πρὸ τοῦ μεῖζον κακὸν ἐμπεσεῖν τῷ οἴκῳ τὸν Πανδάρεων οἰκτείρας ἐποίησε πάντας ὄρνιθας.* In iis quae praecedunt, Pandareum crudelitate et ira occaecatum non modo generum sed etiam filiam necaturum fuisse comperimus. Itaque tum cur Pandareus Iovis excitarit misericordiam, non intellego. Deinde *οἶκος* genetivo nominis proprii non addito parum placet. Utrique malo medebimur, si exarabimus: *πρὸ τοῦ μεῖζον κακὸν ἐμπεσεῖν τῷ οἴκῳ τοῦ Πανδάρεω*; cf. p. 211, 24 *ἐνελωβᾶτο εἰς τὸν οἶκον τοῦ Πανδάρεω.* fab. 11

p. 212, 10 tollas quaeso pusillum emblema in his: *ὁ δὲ τῆς Ἀηδόνος ἀδελφὸς ἐγένετο ἔποψ, αἴσιος καὶ πλέονσι καὶ ἐπὶ γῆς φανείς· [σὺν ἁλιαιέτῳ δὲ ἢ ἀλκυόνι μᾶλλον].* Quae uncis inclusi, ita comparata sunt, ut quicumque ea legit, semel monitus de origine dubitare non possit. Apage illa in marginem, unde perperam in contextum intrusa sunt, olim a docto quodam viro annotata ad scriptoris orationem.

p. 213, 23 Cycnus a Phylio amatore contemptus miserrimam mortem occubuisse dicitur. Phylius enim Herculis consilio iussa pueri neglexit, id quod verbis corruptis *βουλήσει δὲ τοῦ Ἡρακλέους ἀμελῆσαι τῶν ἐπιταγμάτων τοῦ παιδὸς* non dici non potuit. Quorum structuram ut adiuvarent viri docti, aut *συνέβαινεν* vel *ἠνέσχετο* suppleverunt aut indicativum *ἠμέλησε* [1] revocavere. Quae omnia ad locum restituendum minime satis sunt. Perlegas velim ea quae praecedunt; quaecumque puer quamvis *ἀτοπώτατα* imperavit, Phylius perfecit, et ita perfecit, ut ne in levissimis quidem rebus Cycni mandata neglegeret. Itaque quae tandem mandata parvi aestimaverit, nemo non interrogabit: interrogabit nequiquam. Quod Antonini socordiae tribuendum esse si obtinebis, tamen scriptorem aliquo modo nova imperata esse Phylio significare debuisse tenendum erit. Perversae compilatoris fortasse breviloquentiae attribui posset, si legeretur *ἀμελήσας* (vel *ἠμέλησε*) *τῶν* ⟨*ἄλλων*⟩ *ἐπιταγμάτων.* Narrationem vero ut hodie instituta est, si quis attento animo perlustrat, fab. 12

---

der, aequales cum carmina illius obscurissimis vocibus repleta non satis intellegerent, ipse poeta *γλώσσας* quas usurparat, in lucem edidit. Ceterum l. l. *περὶ τῶν* corrupta sunt. Complures glossarum libros fuisse constat; conicio *ἐν τῷ τρίτῳ γλωσσῶν*, quibuscum sane quomodo Schneideri inventum (ad frg. 123) concilietur, alii videant.

[1] Vix defendi potest forma *ἀμέλησε* augmento omisso coll. p. 219, 7 *ἀρύσαντο;*, de qua infra p. 35 agetur.

quin lacuna statuenda sit, dubitare nequit. Neque longius progredi liceret, quam ut nonnulla excidisse statueremus, nisi Ovidius (met. VII, 374 sqq.) eandem fabellam breviter astringens[1] ea suppeditaret, quae hic olim lecta fuisse suspicor. Poeta Romanus narrat:

'............nam Phyllius illic
Imperio pueri volucresque ferumque leonem
Tradiderat domitos; taurum quoque vincere iussus
Vicerat et spreto totiens iratus amore
Praemia poscenti taurum suprema negabat'.

Ideo Antoninum hoc fere modo rem rettulisse quispiam suspicetur: *ὁ δὲ Φύλιος . . . ἕτερον ταῦρον . . . ἀπήγαγεν ἄχρι πρὸς τὸν βωμόν. Βουλήσει δὲ τοῦ Ἡρακλέους ἠμέλησε τῶν ἐπιταγμάτων τοῦ παιδὸς ⟨τὸν ταῦρον αἰτοῦντος δῶρον⟩. Τῷ δὲ Κύκνῳ κτλ.*

Hiare ibi orationem fine fabulae confirmari videtur, quippe qui satis fragosus et mancus sit. Recte si conieci, hoc fere modo illum necesse est suppleamus p. 213, 28 sqq. *καὶ ἐγένοντο βουλῇ Ἀπόλλωνος ὄρνιθες ⟨κύκνοι⟩ ἀμφότεροι ἐν ⟨τῇ⟩ λίμνῃ. Ἀφανισθέντων δὲ [καὶ] ἡ λίμνη ⟨Θυρίη⟩ μετωνομάσθη καὶ ἐγένετο κυκνείη κτλ.* Pauca adicere oportet: *κύκνοι* excidisse videtur ob *ὁμοιοτέλευτον*, nimirum a scriptore qui non sine diligentia et verbose de nominibus bestiarum agere usque quaque amat, omissum esse parum probabile est; cf. p. 207, 7 *Ζεὺς . . . ἐποίησεν ὄρνιθα αἰετόν* (ubi Fonteinius ignarus usus Antoniniani prave *ὄρνιθα* tolli iussit); 216, 21 *ἡ δὲ αὐτὴν ἐποίησεν ὀρνίθιον γλαῦκα*; 218, 21 *ὄρνιθα ἐποίησε τὸν παῖδα ἠέροπον.* Neque magis novum lacus nomen deesse potuit, de quo nisi aliunde constaret[2], profecto dubitare deberemus. Itaque lacum si prioribus temporibus *Κωνώπην* (cf. p. 213, 25 *κατέβαλεν ἑαυτὸν εἰς τὴν Κωνώπην λεγομένην λίμνην*) appellatum post Thyriae interitum Thyriam *μετονομασθῆναι* statuemus, a vero vix aberrabimus[3].

p. 212, 32 legimus *καὶ ὁ λέων ὑπὸ λιμοῦ τροφῇ ταύτῃ χρησάμενος.* Ante *τροφῇ* articulus omissus est, quem Antoninus iuxta *οὗτος* constanter ponit; en omnia exempla in quibus decies pronomen

---

1 Ovidius vero quod fabellam haud cum pulvisculo e Nicandro hauserit, non est cur miremur. Conspirat certe quod caput est, in tribus certaminibus, quae Phyllius (sic apud Ovidium!) subiit.

2 Ovidius l. l. paulo aliter
'At genetrix Hyrie, servati nescia, flendo
Delicuit stagnumque suo de nomine fecit'.

3 Praeterea *καὶ* primum quod superfluum est, expunxi; et Galium vel Schneiderum secutus in *ἀροτοῦ* correxi accentum, qui in codice Palatino in rasura vel hodie accuratius intuenti supra alteram syllabam perspicitur.

substantivum sequitur: p. 204, 8; 207, 18; 209, 18; 213, 5. 6. 19; 223, 17; 225, 7. 19; 230, 24; terdecies *οὗτος* primam sedem occupat: 203, 1; 207, 25; 208, 13; 212, 7. 9; 214, 18; 215, 4; 218, 6. 13; 221, 10. 22; 228, 3; 229, 16. Itaque corrigas p. 237, 25 *ἐν* ⟨*τῷ*⟩ *χρόνῳ τούτῳ*; et 227, 16 melius erit scribere *αὕτη* ⟨*ἡ*⟩ *παρθένος ἦν συμπαίκτρια*, quam *παρθένος* et *συμπαίκτρια* in unam notionem coniungere, quamquam sane Antoninus eiusmodi copulationes in deliciis habet; cf. priorem diss. paginam et p. 232, 23 *ἄνδρες βουκόλοι*; 224, 25 *γυνὴ θῆσσα*; praeterea p. 236, 4. 22.

p. 212, 20 traduntur *ᾤκει . . . τὸ μέσον Πλευρῶνος καὶ Καλυδῶνος*. Loquendi consuetudo inde ab Homeri usque ad recentissimorum Byzantinorum aetatem servata articulum ante *μέσον* deleri iubet; praeter exemplorum farraginem, quam Bastius l. c. p. 138 exhibet et thesaurus Dindorfii s. v. *μέσος*, cf. Polyb. VIII, 25, 1; Plut. Mor. ed. Francof. II p. 132 C et 136 A; ep. ad Philipp. cap. 2, 15. Neque addere nolim etiam in elocutionibus *ἀνὰ μέσον, κατὰ μέσον, ἐν μέσῳ, διὰ μέσου* si praepositionis 'inter' loco adhibentur, articulum semper omitti solere. Quod a me ne temere contendi opineris, vide Krebsii exempla in 'Die Präpositionen bei Polybius' Wirceburgi 1882 p. 33. 71. 136; et eiusdem viri sollertis 'Die Präpositionsadverbien der späteren historischen Gräcität' Monaci 1884/5 part. II p. 40 sq.

p. 214, 22 *τότε* vocula stare nequit, quoniam Tartarus crude- fab 13
litati et libidini scelestae indulgens constanter virgines ad se rapi iussit, *εἴ τις διαβοηθείη παρθένος . . . ἀπῆγεν αὐτὴν καὶ ἐμίγνυτο κτλ.* Emendo *ποτέ*, quod scriptor simili ratione usurpavit p. 218, 14 et 222, 2.

p. 215, 2 pro *ἠδυνήθησαν* melius *ἐδυνήθησαν* dabimus; cf. p. 208, 2; 225, 26; 228, 21. Etiam *βούλεσθαι* et *μέλλειν* per *ε̄* ab Antonino augeri solent.

p. 215, 4 pro *Ἀσπαλὶς Ἀμειλήτη Ἑκαέργη*[1] Schneider (l. c. p. 53) scribi maluit *Ἀσπαλὶς ἐν Μελίτῃ Ἑκαέργη*; comparat vero vir doctissimus *μὰ τὴν ἐν Ἐφέσῳ Ἄρτεμιν* et *μὰ τὸν ἐν Περγάμῳ Ἀσκλήπιον* formulas Galeno sublectas. Ut dicam quid sentiam, Schneideri coniectura prorsus reicienda est, immo gratulari nos decet, quod formam exquisitissimam *ἀμειλήτη*[2] a verbo Hesychiano *μειλεῖν* aperte

---

[1] Rectius *Ἀσπαλὶς ἀμειλήτη ἑκαέργη* amplectemur; ceterum mirifice librarius in Palatino codice distinxit, ut nesciam an *ἑκαέργη* deleri voluerit: *ξόανον, ἀσπαλὶς ἀμειλήτη· ἑκαέργη· ᾧ κτλ.*; cf. p. 16 diss.

[2] Omnino si quid mutandum sit, potius de voce *ἀμείδητος* cogitem, quae et lenissima mutatione recuperetur et hic aptissima sit.

derivatam invenimus. Forma autem feminina in qua Schneider offendit, nullam exhibet difficultatem, si comparamus consimilia *ἀμετρήτα, ἀκινήτα, ἀκλύστα, ἀταυρώτη*; cf. Lobeckii ad Soph. Aiac. 175 annotationem et eiusdem paralipomenon p. 455 sqq. Fortasse etiam non sine momento est, quod apud Antoninum p. 207, 14 *αἰσίαν* rarissimam formam ex poetis depromptam legimus. Absurdum vero Schneideri commentum vel ob eam causam est, quod diserte a scriptore *παρὰ τοῖς ἐγχωρίοις* additur. Denique et ordo nominum refragari videtur illi immutationi [1], et articulum desideraremus, si recte Nicandri editor coniecisset [2].

fab. 14 p. 215, 17 codex exhibet *Ζεὺς δ' οὐ περιΐδεν αὐτοὺς . . . τελευτήσαντας κτλ.* 'Vel tironibus animadversum' ait Verheykius '*τελευτήσοντας* reponendum esse'. Lectio tradita mordicus tenenda [3] est; cf. p. 209, 5 *δεινὸν ἐποιήσατο . . . περιιδεῖν οἰκτρῶς ἀναιρεθέντα τὸν παῖδα.*

p. 215, 25 sq. quae de natura *πιπὼ* avis pro Antoninianis venditantur, ea cum spuria esse iudicem, codicis lectione accurate servata apponam: *ἡ δὲ μήτηρ αὐτῶν ἐγένετο κνιπολόγος. πιπώ· πρὸς ταύτην ἀετῷ πόλεμός ἐστι καὶ ἐρωδιῷ· κατάγνυσι γὰρ αὐτῶν τὰ ᾠά·* (accentus in rasura pusilla) *κόπτουσα τὸν* (sic! sed *ο* in ras.) *δρῦν διὰ τοὺς κνίπας.* Etiam vitiis levioribus quae insunt, verba in codice nitidissime exarato aliqua ex parte suspecta fiunt; librarius vero *πιπὼ* inducendum esse significare voluisse videtur: et est sane offensio haud exigua, quod utrumque nomen copulatum est (nisi *κνιπολόγος* adiectivo sensu usurpatum esse statuis), nam alia avis *πιπώ*, alia *κνιπολόγος* quamvis consimilis est (Arist. h. a. IX, 1 p. 593 a Bek.). Itaque glossator alterum per alterum explicavisse censendus est; quaecumque vero de natura bestiolae cognita habebat, larga manu addidit nil moratus quod aquilae et ardeae avibus (num fortuita est ardeae in emblemate prorsus simili in fab. septima mentio?) in nostra narratione locus utique nullus est, quod *κατάγνυσι τὰ ᾠὰ* et *κόπτουσα τὴν δρῦν* plane diversa sunt [4], quae *ἀσυνδέτως* continentia quisquis leget, artissime inter se cohaerere

---

[1] Quod Schneider suam lectionem eo commendari dicit, quod metri vestigia servet, idem ad traditam scripturam valet; fortasse Nicander sic scripsit:
Ἀσπαλὶν ⟨ἣν καλέουσιν⟩ Ἀμειλήτην Ἑκαέργην.

[2] Exspectarem *ἡ ἐν Μελίτῃ Ἀσπαλὶς ἑκαέργη* vel *ἡ Ἀσπαλὶς ἑκαέργη ἡ ἐν Μελίτῃ.*

[3] Videlicet praeter *περιΐδεν*, quod proclivi Byzantinorum errore augmento orbatum est; idem ad simplicis verbi formam *ἴδεν* valet, quae perperam etiam a Schneidero retenta est; cf. p. 35 infra.

[4] Aristot. l. c. IX, 18 (p. 617 a 3) de ardea *τίκτει ἐπὶ τῶν δένδρων*, de aquilis cf. IX, 32 (p. 618 b 18).

arbitrabitur. Atque unde hauserit interpolator, demonstrari potest. Ipse iudices[1]:

Glossator cum explicaret *κνιπολόγος*:
πιπώ· πρὸς ταύτην ἀετῷ πόλεμός ἐστι καὶ ἐρῳδιῷ· κατάγνυσι γὰρ αὐτῶν τὰ ᾠά· κόπτουσα τὴν δρῦν διὰ τοὺς κνῖπας.

Aristoteles:
l. c. p. 593 a 4 *ἄλλα δ' ἐστὶ σκνιποφάγα . οἷον πιπώ.*
p. 609 a 30 *πόλεμος . . πίπῳ δὲ καὶ ἐρῳδιῷ· τὰ γὰρ ᾠὰ κατεσθίει . . τοῦ ἐρῳδιοῦ.*
593 a 7 *πρὸς τὰ ξύλα προςπετόμενα.*
ib. 12 *κνιπολόγος . . ἐστι καὶ τοῦτο ξυλοκόπον*

Hesychius:
πιπώ, ὄρνεον πολέμιον, ὥς τινες, ἐρῳδιῷ.

p. 215, 22 verba *ὅτι τὸ πῦρ φεύγοντες διὰ τοῦ τοίχου παρὰ τὴν γῆν ἔδυσαν* non conciliari possunt cum iis quae v. 19 sq. praecedunt *οἱ δ' ἄλλοι ἐκ τοῦ πυρὸς ἀνέπτησαν*, quibus scriptor indicavit ceteros qui Hyperhippae fugitivae opponuntur, ex ipsa flagrante domo in aerem evolasse. Quam ut tollamus discrepantiam, auctor sim, ut quae hodie post *αἴθυια* leguntur v. 19 sq. *οἱ δ' ἄλλοι ἐκ τοῦ πυρὸς ἀνέπτησαν, Μούνιχος μὲν τριόρχης γενόμενος, Ἄλκανδρος δὲ ὀρχίλος*, eorum mutemus sedem, quippe quae olim v. 24 post *κύων* fuerit.

p. 215, 28 ad finem fabulae exhibet codex *αἴθυια δ' ἐγένετο πρὸς λίμνας τε καὶ θαλάσσῃ.* Berkelio auctore dativum *λίμναις* posuere, perperam ut opinor, quandoquidem Antoninus praepositionem *πρός*, quam bis et nonagies cum accusativo coniungit, nusquam cum genetivo aut dativo copulat. Lege *πρὸς λίμνας τε καὶ θάλασσαν.*

p. 216, 3 In *Κῶν τὴν Μεροπίδα νῆσον* usitatum insulae nomen fab. 15
delendum est, utpote quod explicationis causa ascriptum esse videatur. Librarius enim in codice Palatino *Κῶν* puncto notavit, praeterea deest accentus. Antoninus vero casca terrarum nomina quae e poetis deprompsisse putandus est (cf. Schneideri l. c. p. 47 ann. 2), libenter adhibet; cf. p. 232, 18 *ἐν Ἀστερίᾳ* pro *ἐν Δήλῳ*; 224, 20 et 225, 6 *Ἀονίαν* et *Ἄονες* pro *Βοιωτίαν* et *Βοιωτοί*; 204, 17 *Σισυφίδας* pro *Κορινθίους*; p. 237, 25. 27. 29 et 238, 1 *Καδμεῖοι* pro *Θηβαῖοι*; 237, 24 et 29 *Τηλεβόαι* pro *Τάφιοι*.

p. 216, 7 sq. *ἀλλ' εἰ μὲν Ἀθηνᾷ τις ἱερὰ ποιῶν ἐκάλεσεν τὰς κόρας, ἀπέλεγεν ὁ ἀδελφὸς τὴν κλῆσιν· οὐ γὰρ ἀγαπᾶν ἔφη γλαυκὴν θεόν,*

---

[1] Tales bestiarum simultates largam veteribus praebuerunt disputandi materiam, itaque e fonte secundario glossator Aristotelica verba haurire potuit.

ὅτι ταῖς αὐταῖς κόραις ὀφθαλμὸς ἐνῆν μέλας, ἐχθαίρειν δὲ παράπαν γλαῦκα τὴν ὄρνιν· εἰ δὲ καλοῖεν παρὰ τὴν Ἄρτεμιν, νυκτίφοιτον ἔλεγεν[1] μισεῖν θεόν, εἰ δὲ πρὸς Ἑρμοῦ σπονδάς, κλέπτην ἔλεγεν οὐ τιμᾶν θεόν. Iterum scalpello utendum est: excidenda verba ὅτι ταῖς αὐταῖς κόραις ὀφθαλμὸς ἐνῆν μέλας, in quibus nequiquam adhuc omnes desudavere. Etenim ne Toussaintii quidem ingeniosam coniecturam ὅτι αὐτῆς (i. e. Ἀθηνᾶς) κόραις οὐκ ἐνῆν μέλαν, quae nimis longe a traditis verbis abest, quisquam probare poterit. Omnino non erat Agroni causa, quod odium adversus caesios deae oculos exponeret; hos enim ab antiquis vulgo 'si non vitiosos, tamen vitiosis proximos censeri' notum[2] est. At interpolatori illud non satis erat, qui adderet 'quod iisdem (i. e. iis quas scriptor antea commemoravit) virginibus niger oculus erat'. Antoninus vel Agron Antonini dixisset ταῖς ἀδελφαῖς; etiam ὀφθαλμὸς singularis admodum displicet. Nescio vero an longius progredi oporteat et verba ἐχθαίρειν δὲ παράπαν γλαῦκα τὴν ὄρνιν ipsa quoque Antonino abiudicare. Causa altius repetenda est. Quid si ulula tum omnino non erat? Meropis postea in ululum convertitur, quam avem iam antea exstitisse ab Antonini vel potius Boei sententia alienum est. Boeus enim Athenaeo si fidem habemus (lib. IX p. 398), καθόλου ... πάντα τὰ ὄρνεα ἀνθρώπους ἱστορεῖ πρότερον γεγονέναι[3].

p. 216, 26 levius emendandum est mendum ὁ δὲ κἀκεῖνον ἐποίησεν νυκτικόρακα κτλ. Cum nemo praeter Eumelum in νυκτικόρακα convertatur, καὶ voculae hic locum non esse in manifesto est; Antoninus scripsit ὁ δὲ ἐκεῖνον ἐποίησεν κτλ., ut antea ἡ δὲ αὐτὴν ἐποίησεν et Ἑρμῆς δὲ αὐτὸν ἐποίησε.

fab. 19 p. 219, 4 ante τροφοὶ articulo vix possumus carere, qui post -ται syllabam omissus est; idem in versu qui praecedit factum est: κατέχουσι δὲ τὸ ἄντρον ⟨αἱ⟩ ἱεραὶ μέλιτται ⟨αἱ⟩ τροφοὶ τοῦ Διός.

p. 219, 12 pro κολοιοὶ reponi oportet κελεοί; viro enim qui in cognominem avem transformabatur (cf. ceterorum hominum nomina fabularumque laterculum p. 201, 2), nomen fuit Κελεός. Accedit aliud. Ex Artemidoro I, 20 et IV, 56 κολοιοὺς male ominatos fuisse comperimus, quibuscum Antonini verba καὶ εἰσιν ἀγαθοὶ φανέντες καὶ ἐπιτελεῖς παρὰ τοὺς ἄλλους ὄρνιθας conciliari nequeunt.

fab. 20 p. 219, 27 τὴν γὰρ τῶν ὄνων θυσίαν ἐν Ὑπερβορέοις ἀγομένην αὐτῷ καθ' ἡδονὴν εἶναι. Deesse vocem μόνος quamquam viri docti

[1] Ν ἐφελκυστικὸν tacite ubique e codice restitui.

[2] Cf. Verheykii annotationem apud Kochium p. 181.

[3] Quae vix alibi locum habuisse quam in prooemio carminis Knaackius l. c. p. 9 recte contendisse videtur. Aliter Wilamowitzius iudicat, qui ea hominem cui notitiam carminis debet Athenaeus, de suo addidisse arbitratur.

intellexerunt, et in forma et in sede vocis erraverunt. Hyperborei omnibus gentibus opponuntur, ergo scriptum fuisse credo *ἐν Ὑπερβορέοις ⟨μόνοις⟩ ἀγομένην*. Populi nomen similiter desinens iacturam satis explicat.

p. 220, 3 *κἀπὶ τούτοις ὁ Κλεῖνις ἐπείθετο μᾶλλον*: in his gravis soloecismus latet. *Πείθεσθαι ἐπί τινι* 'alicui obtemperare' omnino non Graecum est. Dicebant Graeci vulgo *πείθεσθαί τινι* (in praecedente versu *πείθεσθαί τῷ Ἀπόλλωνι*) vel rarius *πείθεσθαί τινος* (cf. Kuehner Griech. Gramm. II² § 417, 5 ann. 6), deinde a Novi Testamenti scriptoribus *πείθεσθαι ἐπί τινα* adhibetur ita, ut 'fretum esse' 'credere' significet, neque usquam dativus cum praepositione copuletur; cf. e. g. ev. Matth. 27, 43 *πέποιθεν ἐπὶ τὸν θεόν*. Lenissima medela adest, nam una litterula restituta legendum est *κἀπεί*[1]; in apodosi autem Buechelero auctore *Ἅρπασός τε καὶ Λύκιος* corrigo.

p. 220, 15 quae Westermannus uncis inclusit verba (inde a *οὗτός ἐστι δεύτερος* usque ad *ἐλάσσων· ἐκείνου*) illuc expellenda sunt, unde negant redire quemquam. Primum quidem offendimus, quod *καὶ* ante *ἐρεμνὸς* omissa est[2]; deinde vide, ne inter se pugnent *οὗτός ἐστι δεύτερος ὀρνίθων μετὰ τὸν αἰετόν* et *ὁ δ' αἰετὸς*[3] . . . *ἐλάσσων ἐκείνου*. Vidè, ne subabsurde dictum sit *αἰετὸν μελάντερον* esse quam *ὑψιαίετον*, *ὑψιαίετον* vero fuisse *ἐρεμνόν*. Num hoc minus ineptum est, quam si quis *μελάντερος ἢ μέλας* esse narretur? Accedit, quod *ἐρεμνὸς* per se satis insolens est[4].

Adhuc satis firmo pede incessisse videmur; consideremus nunc ea, quae ut in ordinem quendam cogerem, oleum et operam perdidi. Peritiores videant, mihi quidem foedissimam confusionem exponere liceat. Atque ut ab Harpa calamitosa scelestorum filiorum matre incipiam, ubicumque in tota historiola occurrit, eam remotam malumus, ubi non occurrit, aegre desideramus. Nam ubi primum prodit p. 219, 32, sede tam praepostera invenitur, ut utrum ab ipso scriptore an ab interpolatore nomen postea additum sit, ignoremus:

---

[1] *Κἀπεὶ* cum crasi legitur etiam p. 212, 31; item *κἀκ* Antoninus scriptitabat, cui crasis p. 210, 7 reddenda est: lineola ibi margini appicta fortasse ad nullam aliam pertinet immutationem.

[2] Non offendit, quod *καὶ* post *ἐρεμνὸς* deest; cf. p. 39 infra.

[3] Quam formam rectius semper revocabimus; cf. p. 207, 8 *ὄρνιθα αἰετόν*, et alterum diss. caput.

[4] Vox a poetis solis adhibita ad eas notiones accedere solet, in quibus simul aliquid horribile inest, velut *αἷμα, αἰγίς, λαῖλαψ*; tum epitheton est verborum *νύξ, γαῖα, ἕσπερος*. Apollonius vero Rhodius II, 32 *ἐρεμνὴν . . . λώπην* dixit. Discrepat a glossatoris descriptione Aristoteles (l. c. IX cap. 32 initio p. 618 b 32 Bek.), cuius verba quam misere tradita sint vel inde elucet, quod contraria profert p. 619 a.

ἦσαν δὲ αὐτῷ παῖδες Λύκιος καὶ Ὀρτύγιος καὶ Ἅρπασος καὶ θυγάτηρ Ἀρτεμίχη, παῖδες ἐκ μητρὸς Ἅρπης. Non aeque offendit, quod mater de improbo quid senserit sacrificio non narratur[1]: at iterum Harpae mentionem non fieri p. 220, 6 οἱ δὲ τούς τε παῖδας καὶ τοὺς θέραπας αὐτῶν καὶ τὸν Κλεῖνιν κατήσθιον valde demiramur, nimirum quamquam mater inter eos qui ab asinis furibundis dilacerati sunt, non enumerata est, tamen continuantur οἱ δ' ἀπολλύμενοι τοὺς θεοὺς ἐπεβοῶντο. Καὶ Ἅρπην μὲν κτλ. Contrarium accidit servis, qui v. 6 in eorum numero sunt, quibus bestiae exitio fuerunt, tamen de iis quamquam v. 14 omnes in aves conversos esse comperimus, tota fabula altissimum silentium est. Eorum Antoninus oblitus esse videtur, ut Harpae oblitus est. Restat tertia difficultas haud minus gravis. Latona et Diana Clinim, Artemicham, Ortygiam perniciei eripere constituere (v. 10), ὅτι οὐκ αἴτιοι τῶν ἀσεβημάτων ἦσαν. Deabus supplicantibus Apollo morem gerit (v. 13) et πρόσθεν ἢ ἀποθανεῖν μεταβαλὼν ἐποίησε — exspectas αὐτούς, falleris — πάντας ὄρνιθας. Ut omittam dicendum fuisse τοὺς ἄλλους, cum antea (v. 8) duo eorum a Neptuno iam commutati fuerint, cur 'omnes' dixerit tuo iure quaeres. Nescimus. Apollo vero si pro sua clementia plus quam deae petebant, praestiturus erat, hoc dilucide a libelli auctore annotandum fuit.

fab. 21 p. 221, 12 sq. exstirpanda esse contendo verba ἅτερ σίτου καὶ ποτοῦ τὴν κεφαλὴν ἴσχουσα κάτω, τοὺς δὲ πόδας ἄκρους ἄνω quae quamvis ipsa vix aliquam exhibeant offensionem[2], ad familiam interpolationum earum pertinere videntur, quibus de natura animalium accuratius agitur.

fab. 22 p. 221, 25 Τέραμβος Εὐσείρου .. καὶ Εἰδοθέας νύμφης Ὀθρηίδος tria continent menda. Atque primum quidem Berkelius sustulit, cum Κέραμβος exararet, quod et κεράμβυξ (p. 222, 18) postulat et Ovidius (met. VII, 353 sqq.) praebet[3]. Porro articulus ante Εὐσείρου omissus est quem Antoninus in hac elocutione nusquam non adhibet; cf. p. 202, 17; 204, 5; 215, 9; 217, 14; 234, 32; 236, 15 alia. Itaque legendum est Κέραμβος ⟨ὁ⟩ Εὐσείρου. Tertium denique vitium in Ὀθρηίδος latet. Editores quidem adiectivum[4] finxerunt a

---

[1] Id quod prioribus editoribus vituperatione maxima dignum esse visum est; cf. Koch. p. 204 sq.

[2] Ἴσχουσα si exceperis, quod a scriptoris consuetudine abhorret; opus foret ἔχουσα; cf. e. g. p. 236, 31.

[3] Schneidero teste (l. c. p. 49 ann. 1) Hauptius κεράμπυξ et Κέραμπος restitui voluit, cuius lectionis in novissima Hauptiana metamorphoseon editione nec vola nec vestigium est.

[4] Nisi forte Nicandrum novam vocem formasse statuimus, sane qui

monte Othrye derivatum: at tale adiectivum omnino non exstat [1], immo *Ὀθρηὶς* nomen proprium est, quod et apud ipsum Antoninum (p. 214, 5 *Διὸς καὶ νύμφης Ὀθρηίδος ἐγένετο . . . Μελιτεύς*) et apud alios scriptores [2] invenitur. Quae cum ita sint, alterum utrum nomen vel delendum vel corrigendum est. Propono autem hoc: *Εἰδοθέας νύμφης ὀρειάδος*, quod et sensui aptissimum est (cf. p. 228, 26 *ἁμαδρυάδα νύμφην*; 229, 14 *νύμφας ἐπιμηλίδας*) et facillime in traditos ductus corrumpi potuit, praesertim cum *Ὄθρυος* statim insequeretur.

p. 222, 8 sq. *ἀπέρριψεν δὲ λόγον ἄχαριν τε καὶ ἀνόητον εἰς τὰς νύμφας, ὅτι γένος μέν εἰσιν οὐκ ἀπὸ Διός, ἀλλ' ἔτεκεν αὐτὰς ἡ δεῖνα τοῦ Σπερχειοῦ, Ποσειδῶν δὲ πόθῳ μιᾶς αὐτῶν Διοπάτρης τὰς ἀδελφὰς ἐρρίζωσε κτλ.* Quae quomodo restituenda sint, nondum intellexere viri docti; intellexere nonnulli *ἡ δεῖνα τοῦ Σπερχειοῦ* depravata esse. Quid tandem opprobrii 'e quadam filiarum Sperchei nasci?' [3] Necesse est *Δεινὼ* quod Berkelius olim cogitavit, in contextum recipi; neque vero haec immutatio sufficit. Quid enim lucramur, si *Δεινὼ* illam e Spercheo natam esse cum Berkelio statuimus? Praeterea patris nomen quod Iovi opponatur, deest. Quid multa? Cerambus nymphis venustissimis obiecit, quod *ἔτεκεν αὐτὰς ἡ Δεινὼ τῷ Σπερχειῷ*. Etenim in memoriam tibi revoca, *Δεινὼ* ista quae fuerit muliercula. Fuit una e foedissimis tribus Graeis [4], e qua nymphas natas esse irrisor petulans si dicebat, certe opprobrium vix cogitari poterat mordacius et acerbius. Aptus denique etiam articulus est, quoniam Cerambus de famosissimo loquitur monstro.

p. 222, 17 sqq. *νύμφαι.. μετέβαλον.. τὸν Κέραμβον, ὅτι αὐταῖς ἐλοιδόρησε.* Aut *λοιδορεῖν τινα* aut *λοιδορεῖσθαί τινι* Graeci dicebant. Itaque Antonino *αὐτὰς* accusativus reddendus est. Nam sermoni eius satis puro planeque barbarismis immuni [5] stribliginem imputare vereor quae non inveniri videtur nisi in altera Maccabaeorum epistula (cap. 12, 14), cuius auctor sane dixit *τοῖς περὶ τὸν Ἰούδαν λοιδοροῦντες.*

p. 222, 19 verba inde a *φαίνεται* usque ad *κεράμβυξ* (v. 23)

Θριδακηίς (Theriac. 838), *ἀθερηίς* (ib. 849), *δρεπανηίς* (frg. 21), *Κισσηὶς* (frg. 62) finxit, quae omnia *ἅπαξ εἰρημένα* sunt.

[1] Neque 'Othrysius' legitur nisi apud poetas Romanos e. g. Martial. VII, 7, 2. X, 7, 2.

[2] Schol. Plat. conv. 208, d; Apollod. I, 7, 2, 3.

[3] Ne urgeam *τοῦ* tum falsum; cf. Krüger l. c. I § 47, 5, 2.

[4] Apollod. bibl. II, 4, 2 *τὰς Φόρκου . . . θυγατέρας, Ἐνυὼ Πεφρηδὼ Δεινὼ κτλ.*

[5] Cf. cap. II diss.

insitiva esse in aprico est. Interpolator hic eo procedit, ut libelli auctori palam refragetur: Antoninus bestiam (v. 18) *ὑλοφάγον* appellavit, glossator (v. 22) *ξυλοφάγον*; ille narravit (v. 18) *καὶ ἐγένετο ὑλοφάγος κεράμβυξ*, hic (v. 22) *οὗτος ξυλοφάγος βοῦς καλεῖται, παρὰ δὲ Θετταλοῖς κεράμβυξ*.

fab. 23 p. 223, 11 sq. Terrae et regiones per quas Mercurius boves Apollinis egerat, secundum situm et viam dei quam accuratissime ex ordine enumerantur. Quod qui observaverit, haesitabit v. 15 in *ἄχρι Τεγέας καὶ ἐντεῦθεν παρὰ τὸ Λύκαιον ὄρος ἐπορεύετο καὶ παρὰ τὸ Μαινάλιον καὶ τὰς λεγομένας Βάττου σκοπιάς*. Mutaverunt sedem *Λύκαιον* et *Μαινάλιον*. Nempe ab urbe Tegea si quis in Messeniam tendit (cf. v. 23), brevi ad Maenalum montem qui non multum a Tegea [1] aberat, pervenit, deinde satis longo intervallo interiecto ad Lycaeum in Messeniae Arcadiaeque confinio situm. Addo aliud. Loquendi consuetudo transpositionem postulat. Nimirum Graeci qui *ὁ Μαίναλος* et *τὸ Μαίναλον* passim dicebant, *Μαινάλιον* si usurpabant adiectivam formam, *ὄρος* semper apposuisse videntur [2]. Scriptor ergo dedit litteris: *καὶ ἐντεῦθεν παρὰ τὸ Μαινάλιον ὄρος ἐπορεύετο καὶ παρὰ τὸ Λύκαιον κτλ.*

p. 223, 31 tradita sunt *λέγεται δὲ καὶ ὁ τόπος παροδευόντων ἄχρι νῦν σκοπιὰ Βάττου*. Schneider propter v. 16 *τὰς λεγομένας Βάττου σκοπιάς* rectissime *σκοπιαὶ* correxit; deinde *παρ' ὁδευόντων* nulla fere mutatione scriptitaverunt Bastium secuti editores: nescio an verbum compositum quod egregie convenit, potius sit haud temptare, praesertim cum articulo male careamus et Antoninum *λέγεται .. παρ' ὁδεύουσιν* scripturum fuisse consentaneum sit; cf. p. 209, 28; 215, 4; 228, 24; 204, 26. Quare malim *λέγεται δὲ καὶ ὁ τόπος ἄχρι νῦν ⟨ὑπὸ τῶν⟩ παροδευόντων σκοπιαὶ Βάττου*.

fab. 25 p. 225, 2 *κατέπεσον ἐς τὴν γῆν*, immo *εἰς τὴν γῆν*. Antoninus enim pleniorem formam alias centies quater solam adhibet. Idem ad Parthenium valet, cui cum *εἰς* undeoctogies usurpet, *ἐς* breviorem formam sexies traditam (p. 153, 18; 158, 20; 160, 30; 165, 21; 180, 26; 163, 17 ed. Westermann.) adimendam [3] esse probabile est.

p. 225, 12 *συνεπήγετο μεθ' αὐτοῦ καὶ Ὕλαν*. *Συνεπάγεσθαι* solum

---

[1] Phaedro Maenalus 'Tegeaeus' audit.

[2] Cf. Strab. VIII, p. 389 (ed. Mein. p. 550); Pausan. VIII, 3, 4; ib. 36, 5; Theocr. I, 124 et ib. scholia; Apoll. Rhod. I, 770; alias. — Etiam poetae Latini hunc usum servavere; cf. Ov. met. I, 216; ib. II, 415, 444; Vergil. eclog. X, 55.

[3] Quod etiam Hercher neglexit.

'secum ducere' significat[1]. Oblitterandum ergo μεθ' αὐτοῦ eiusdem fortasse falsarii qui p. 227, 18 ἀντὶ τῆς θυγατρὸς[2] cum inculcaret, se evidentiae operam navare credidit.

p. 225, 13 ἐπεὶ δὲ πρὸς τὸ στενὸν ἐξίκοντο τοῦ Πόντου καὶ τὰ σφυρὰ παρέπλευσαν τῆς Ἀργανθώνης. In quavis geographica mappa a Graecia navigantem prius ad Arganthonis montis radices quam ad Bosporum Thracium deferri videre licet; ideo alius membrorum ordo constituendus est hice: ἐπεὶ δὲ τὰ σφυρὰ παρέπλευσαν . . . καὶ πρὸς τὸ στενὸν ἐξίκοντο κτλ.

p. 225, 22 pro πανταχοῖ rectius erit πανταχῇ vel πανταχοῦ.

p. 226, 8 secundum codicem in quo ει puncto notatum est, fab. 27
pro στρατεία melius στρατιὰ restituemus. Atque ibidem ὑπὸ ἀπλοίας viri docti perperam retinuerunt, nam elisio revocanda est, quandoquidem ὑπὸ octies i. e. alias semper[3] eam passa est; idem de ceteris praepositionibus valet, quare corrigas quaeso p. 221, 11 μεθ' Ἑρμοῦ; 234, 21 παρ' Ἄκαστον; 232, 12 δι' ἔργον.

p. 226, 18 praebet codex αὐτὴν δ' οσταυροπόλου, quae depravata esse librarius lineola ad marginem appicta luculenter significavit. Munckero praeeunte plerique αὐτὴν et ταυροπόλον recte emendavere. Tamen quid, litteris οσ faciendum esset, ante Schneiderum ne perpenderunt quidem. Schneideri vero ὄνομα minime placet, utpote quod prorsus superfluum et molestum[4] sit. Equidem sub OC latere suspicor $\overline{\Theta C}$ (δ' ἡ θεός), quod libenter a scriptore post longum intervallum[5] (erat v. 13 Ἄρτεμις) additum[6] accipimus. Ceterum verba inde a καὶ τὸ μὲν ἔθνος usque ad ταυροπόλον num Antoniniana sint, in medio relinquo. Conferas velim (v. 14) παρὰ τὸν βωμὸν ἔφηνε μόσχον cum (v. 18) παρὰ τὸν βωμὸν ἔφηνε ταῦρον. Tum animadvertas, quam incommode τὸ μὲν ἔθνος ἐκεῖνο τῶν νομάδων ad παρὰ Θόαντα τὸν Βορυσθένους παῖδα annexa sint.

p. 226, 19 κατὰ δὲ χρόνον ἱκούμενον[7]. Collato p. 202, 22 κατὰ

---

[1] Cf. Plut. vit. Cat. maior. cap. 17; Dio. Cass. 41, 7; 72, 14; Achill. Tat. 6, 9, 5. Conon narr. XI 'Ηρακλῆς ὑπὲρ Ὕλλου τοῦ παιδός, ὃν . . . συνεπήγετο'.

[2] Ab Herchero expunctum l. c. p. 318.

[3] p. 203, 23; 204, 1; 205, 12; 225, 11; 209, 24; 234, 17; 236, 30: 32. Ceteros locos afferre taedet.

[4] Compendium vocis ὄνομα potius $\overset{N}{O}$ esse solet; cf. Wattenbach Anleitung zur griech. Paläographie ed. II in appendice p. 17, et infra p. 25.

[5] Praesertim cum praecesserit pronomen reflexivum αὐτήν.

[6] Ἡ θεὸς legitur etiam p. 216, 9. 11; 217, 27; 235, 18; 227, 28 (ubi τοὺς Schneider bene explosit). Ista de qua dixi lineola quinquies in codice redit ad p. 210, 7; 217, 33; 218, 1; 231, 14; 236, 2; cf. Wattenb. l. c. p. 36.

[7] Sic enim in codice legimus.

χρόνον τὸν ἱκνούμενον Muncker participium temporis praesentis reposuit. Quod ut optime factum est, ita etiam articulum melius adiungemus.

fab. 29 p. 227, 26 pro *αἱ δὴ Μοῖραι* malim *αἱ δὲ Μοῖραι*, *δὴ* vero particula e praecedente enuntiatione huc intrusa esse videtur. Verba enim quae secuntur, prioribus quodammodo contraria sunt, deinde *δὴ* omnino rarissimum apud Liberalem invenitur: p. 210, 5 ante *ταῦτα* collocatum et p. 224, 24 per *δὲ* fultum.

p. 228, 3 *πρὸ Ἡρακλέους ἑορτῆς* (erat *ἑορτῇ*, quod Bastius correxit) *θύουσι Γαλινθιάδι πρώτῃ*. Schneider[1] *πρῴ Ἡρακλέους ἑορτῇ κτλ.* scripsit. Nam ut ipsius utar verbis, 'Westermanni lectio ferri nequit, nisi simul *πρώτῃ* deleas quo Herculi secundo ante Herculis festum diem sacra esse facta tecte significaretur'. At quid tandem obstat, quominus ante festum praeter Galinthiadem etiam aliis quibuscum Hercules aliquo modo coniunctus erat, Alcmenae, Iolao Thebanos sacra fecisse statuamus? Cf. Plut. vit. Thes. cap. 4 *τρεφόμενον δὲ ὑπὸ τοῦ Πιτθέως ἐπιστάτην ἔχειν καὶ παιδαγωγὸν ὄνομα Κοννίδαν, ᾧ μέχρι νῦν Ἀθηναῖοι μιᾷ πρότερον ἡμέρᾳ τῶν Θησείων κριὸν ἐναγίζουσι κτλ.* Cf. etiam Preller Griech. Mythologie II³ p. 184 ann. 1 et Antonini p. 205, 21 *Κραγαλεῖ δὲ μετὰ τὴν ἑορτὴν Ἡρακλέους ἔντομα θύουσιν ἄχρι νῦν.*

fab. 30 p. 228, 16 sq. in codice haece legimus[2]:

καὶ ἐγένοντο δίδυμοι παῖδες αὐτῷ, καῦνος
καὶ βυβλίς· ἀφ' οὗ πόλις ἐστὶν ἔτι νῦν ἐν καρίᾳ:,
καῦνος καὶ βιβλίς.[3] *κτλ.*

E quibus quomodo emblema irrepserit, cognosci potest. Antoninus dedit *καὶ ἐγένοντο δίδυμοι παῖδες αὐτῷ καῦνος καὶ βυβλίς*, deinde scholiasta ad marginem de Cauno quod exploratum habebat, ascripsit: *ἀφ' οὗ πόλις ἐστὶν ἔτι νῦν ἐν καρίᾳ καῦνος.* Denique haec in contextum praepostere post *βυβλὶς* intrusa per pravam distinctionem qua *καῦνος* ab *ἐν καρίᾳ* discerpebatur, etiam *βυβλὶς* nominis geminationem procreaverunt.

fab. 31 p. 229, 2 pro *ἐνταυθοῖ οἰκοῦντας* Palatino duce qui *ἐνταυθοῖ* *οἰ* *κουντας* habet, quoniam sic hiatum vitabimus[4], melius *ἐνταῦθ' οἰκοῦντας* exarabimus. Scriptor enim et *ἐνταῦθα* (p. 225, 15) et *ἐνταυθοῖ* (p. 228, 14) usurpat.

---

[1] L. c. p. 66 ann. 2.

[2] Etiam distinctionem servavi; praeterea versuum fines significare haud inutile esse visum est.

[3] *Βυβλὶς* recte a Iacobsio ubique restitutum est.

[4] Cf. tamen p. 40 ann. 5 diss.

p. 229, 2 sq. ἦν δὲ τὸ πλέον αὐτοῖς τῆς στρατιᾶς ἔποικον, Ἰλλυριοί, Μεσσάπιοι quae Schneider (l. c. p. 55 ann. 1) vituperavit, quoniam 'non solum copulae defectus offendit, sed multo magis . . quod Illyriorum .. nulla in assignanda terra ratio habita est. Itaque Nicandrum puto nominasse Messapios ab Illyria oriundos. . At fortasse Anton. scripsit Ἰλλύριοι Μεσσαπίου, ut Messapius Illyriorum dux fuerit, aut Ἰλλύριοι male huc illatum ex fab. 37'. Vides viri doctissimi quantopere fluctuet iudicium. Atque ut a codice proficiscamur, librarius ἰλλυριοὶ quod spiritu caret et puncto notatum est, expunctum voluit. Quod cur non satis esse credam, causa gravissima quam Schneiderum miror effugisse, in iis quae paulo post de pagorum nominibus a ducibus desumptis narrantur, inesse videtur. Terras enim occupatas secundum nomina ducum appellatas esse certiores fimus v. 5 τὴν γῆν ἐμέρισαν τριχῇ καὶ ὠνόμασαν ὡς ἑκάστοις ἡγεμόνος εἶχε Δαυνίους καὶ Πευκετίους καὶ Μεσσαπίους . . . τὸ δὲ σύμπαν ἔθνος ὠνόμασαν Ἰαπύγων. Utique igitur necesse est Messapum[1] ducem fuisse idque antea alicubi commemoratum esse. Itaque Schneiderum secunda via ad verum proxime accessisse arbitratus suadeo ut legamus: ἦν δὲ τὸ πλέον αὐτοῖς τῆς στρατιᾶς ἔποικον ⟨οἱ⟩[2] Μεσσάπου. Verba quae attuli ὡς ἑκάστοις ἡγεμόνος εἶχε, de quorum sensu quidem dubitatio non est, sermonem si consideramus, maximam exhibent offensionem. Neque a me impetrare possum, ut ea salva aetatem tulisse opiner. Persuasit mihi Buecheler scripsisse Antoninum ΩC ЄΚΑCΤΟΙC ΗΓЄΜΟΝΟC Ο ЄΙΧЄ (N supra O); cf. supra p. 23 an. 4.

Deinde in narratione fines terrarum accuratius definiuntur (v. 6) τὸ μὲν ἀπὸ Τάραντος ἄχρι πρὸς τὴν ἐσχατιὰν τῆς Ἰταλίας[3] ἐγένετο Μεσσαπίων, ἐν ᾗ πόλις ᾤκισται[4] Βρεντέσιον, τὸ δὲ παρὰ τὴν ἐντὸς τοῦ Τάραντος ἐγένετο Πευκετίων, ἐνδοτέρω δὲ τούτου τῆς θαλάσσης ἐπέπλεον Δαύνιοι, τὸ δὲ σύμπαν ἔθνος ὠνόμασαν Ἰαπύγων. In quibus Schneideri τῆς θαλάσσης ἐπιπλέοντι et τὸ δὲ παρὰ ταύτην, donec melius aliquid repertum sit, in textum recipienda esse arbitror[5].

p. 231, 7 sq.[6] ἐν δὲ τούτῳ καὶ Ἀλκμήνη κατὰ γῆρας ἀποθνήσκει fab. 33

---

[1] Μέσσαπος enim, non Μεσσάπιος, ut voluit Schneider, dux ille audivit; cf. Strab. IX, 405 et Steph. Byz. s. v. Μεσσάπιον; Μεσσάπιοι potius incolae Μεσσαπίας appellabantur.

[2] Articulo enim vix carere licet.

[3] Futtilis Schneideri coniectura Ἰαπυγίας; cf. p. 205, 25 τὴν ἐσχατιὰν τῆς Θεσσαλίας.

[4] Ex ᾤκηται a Munckero corr.

[5] Ἐπιπλεῖν alibi cum dativo non coniungitur.

[6] Pro προέλεγεν (sic codex) lege προὔλεγεν, cf. p. 237, 27 προὐτίθεσαν; crasis reducenda est etiam p. 226, 9 in προεσήμαινον, quod ex προςεσήμαινον correctum in codice est; cf. etiam p. 19 ann. 1 supra.

καὶ αὐτὴν ἐξεκόμισαν Ἡρακλεῖδαι· [ᾤκουν δὲ παρὰ τὰς Ἠλέκτρας πύλας ὅθιπερ καὶ Ἡρακλῆς ἐν τῇ ἀγορᾷ.] Extrema quae saepsi, spuria esse videntur tres ob causas. Prima est, quod verba alienissimo leguntur loco [5] orationisque tenorem mirifice interrumpunt. Altera, quia *ἐν τῇ ἀγορᾷ* perperam post *Ἡρακλῆς* demum collocatum est. Tertia ac gravissima, Thebarum urbis descriptio sic prorsus evertitur. Videlicet forum iuxta Poetides portam in septentrionali maxime oppidi parte situm fuisse [1] constat, constat non minus Electras portam in meridiana Thebarum parte fuisse: ergo disiunctissima quaeque coniunxit glossator. Quem in Antonini exemplari *πάλιν* ante (v. 7) non *πόλιν* legisse ex ipso additamento otioso et inepto efficias.

fab. 35 p. 232, 31 sq. Latona ad Melitam fontem ut pastores poena afficiat rediens, hos invenit, cum boves lavabant: *καὶ οἱ μὲν ἀπελούοντο ἔτι παρὰ τὴν κρήνην τοὺς βοῦς. Ἔτι* voculae locus non est, v. 22 enim Lycii ut armenta biberent, curasse narrantur, *ὅπως ἂν αὐτοῖς οἱ βόες ἐκ τῆς κρήνης πίωσιν.* Porro medialis forma transitivo adhibita sensu mihi improbatur, praesertim cum scriptor ipse in vicinia (v. 22 et 27) bis hac significatione activum posuerit. Corruptelae originem sic explico, ut quae nunc leguntur ΑΠΕΛΟΥΟΝΤΟΕΤΙ olim fuerint ΑΠΕΛΟΥΟΝΤΟΤΕ.

fab. 37 p. 234, 1 *αὐτοὶ δ' ἐγεώργουν ἣν ἐδάσαντο παρὰ τοῦ βασιλέως γῆν. Δατεῖσθαι γῆν* 'terram dividere' dici potest, *δατεῖσθαι γῆν παρά τινος* nihili est. Scriptorem dedisse suspicor [2]: *ἣν ἐδέξαντο παρὰ τοῦ βασιλέως γῆν.*

p. 230, 30 Plura post *σὺν αὐτῷ* omissa esse contendo, quibus de matrimonio et de domicilio Diomedis sermo fuerit. Etenim et continuat Antoninus *δύο δὲ παῖδας ἔσχε,* et postea v. 33 de insula in qua heroem sepeliebant, ita agit, tamquam supra commemorata sit. Quare talia excidisse opinor: *αὐτὸς δὲ τὴν Δαυνίου γήμας νῆσον πλησίον κειμένην ᾤκησεν.*

fab. 39 p. 235, 3 Xylander qui *γένος δ' ἦν τὸ̀* (i. e. *τὸν*) *Νικοκρέοντος* exhibet, cum alteram lineolam supra ō in *τὸ̀* typographo deberi appareat, *τὼ Νικοκρέοντος* voluisse videtur. Liberalis quidem saepenumero ante genetivum articulum repetit; cf. e. g. p. 201, 31; 202, 29; 204, 28; 206, 11; 214, 35; 218, 2; 219, 21 (ubi emendandum *τὸν Ἀπόλλωνος*) alias.

---

[1] Quod e Pausaniae IX, 17, 1, Sophoclis Oed. reg. v. 161, Plutarchi vit. Aristid. cap. 20 eiusdemque de genio Socr. cap. 34 ratiocinamur. Dubitationi vix datur locus; cf. Bursiani Griech. Geographie vol. I p. 228 ann. 4 et ibid. alteram chartam geographicam.

[2] Xylander hic unicus testis est; ceterum non duo, ut Westermannus ad pag. 233, 25 dixit, sed unum e codice folium hic evulsum est.

p. 235, 11 *ἐπεὶ δ' αὐτῷ πρὸς τὸ ἔργον οὐδὲν ἐτυγχάνετο, πείθει τροφὸν ἑαυτοῦ.* Alterum a Valckenario *τροφὸν αὐτῆς* restituente mendum sublatum, alterum superest. Furcis expellenda medialis forma, et ut Graece loquentem faciamus Antoninum, aut praepositio *ἐπ'* addenda [1] aut *ἐτύγχανε* scribendum [2].

p. 236, 18 ante *τότε δ' οὖν* fabella haud exigua nisi fallor, fab. 41
rima dehiscit. Neque enim *τότε* quo referatur, neque Cephalus ab Aurora raptus eiusque coniunx redditus quomodo in Atticam revenerit et cur pristinam uxorem temptare voluerit, ulla ratione enucleare possumus. Accedit, quod bis in eadem narratione aliquot verba quae in contextu codicis desunt et quidem plane necessaria, nisi margini codicis ascripta hodie non inveniuntur [3]. In lacuna quae fere narrari debuerint, ex Ovidio (met. VII, 710 sqq.) ratiocinari licet. Exempli gratia Antoninus sic scribere potuit [4]: *καὶ ἐποιήσατο σύνοικον· ⟨πόθῳ δὲ τῆς γυναικὸς ἐχόμενον ἀφῆκεν Ἠώς, τὴν Πρόκριν μὴ πιστὴν εἶναι λέγουσα.⟩ Τότε δ' οὖν κτλ.*

p. 237, 2 sq. *καὶ ἀπέθνησκον αἱ γυναῖκες ὅσαις ἐμίγνυτο. Πασιφάη δ' ἦν Ἡλίου θυγάτηρ ἀθάνατος· ἥ γοῦν* [5] *Πρόκρις κτλ.* Pasiphae quippe quae immortalis fuerit e Sole orta, ceteris omnibus mulieribus mortalibus a scriptore opponitur. Sic vero ut nunc verba leguntur, Pasiphae unica immortalis Solis filia fuisse narratur. Puto igitur ulcus subesse ita sanandum: *Πασιφάη δ' ἡ Ἡλίου θυγάτηρ ἀθάνατος ⟨ἦν⟩· ἥ γοῦν Πρόκρις κτλ.* Verbum substantivum ante HΓ prave praetermissum est.

p. 237, 15 sq. *ἐπεθύμησεν αὐτὸς τὸν ἄκοντα τοῦτον λαβεῖν· καὶ*

---

[1] Forma *ἐπετυγχάνετο* per se bona eo minus commendatur, quod p. 237, 14 *ἐπετύγχανε* invenitur, quamquam scriptor variare amat; cf. p. 216, 8 *ἀπέλεγεν . . τὴν κλῆσιν*; 231, 3 *τὸν πόλεμον οὐκ ἀπολέγονται*; 211, 3 *Ἥρα γὰρ αὐτῇ συνελάμβανεν*; p. 213, 18 sq. *ηὔξατο συλλαβέσθαι αὐτῷ τὸν Ἡρακλέα.* Cf. Woelfflinii in ed. Polyaeni p. XXXV 'Videri poterat P. saepius medium et activum promiscue posuisse, sed pleraque . . . librariis imputanda'.

[2] An idem quod eidem syllabae in *ἀπελούοντο* (cf. priorem pag. diss.) factum est? Vide etiam p. 228, 11 *ἐπεὶ δὲ . . . ηὔξετο, τότε . . ἀποδιδράσκει* et p. 233, 4 *ἡνίκα . . κατέκρυψεν, τότε ἐξέθρεψεν.*

[3] Praeter verba quae p. 237, 1 Westermannus annotavit, desunt in contextu etiam quae p. 238. 4 leguntur *ἦν δὲ θεμιτὸν οὔτε τὴν ἀλώπεκα.*

[4] Duo archetypi versus omissi esse videntur, etenim quae p. 237, 1 in margine ascripta sunt, triginta tribus constant litteris, quibus archetypi versum contineri praeter litterarum numerum antiquorum consuetudini convenientem (cf. Birt. 'Antikes Buchwesen' p. 197) hoc quod vix causa alia omissionis reperiri potest, me commovet. Quae supplevi, constant sexaginta quinque litteris.

[5] Sic pro *ἤ γ' οὖν* scripsi.

προςυπέσχετο δώσειν, εἰ αὐτῇ τῆς ὥρας ἐθελήσαι τῆς ἑαυτοῦ χαρίσασθαι [1]. Paulo post v. 20 secuntur quae ad rem attinent *καὶ τὸν μὲν κύνα καὶ τὸν ἄκοντα λαμβάνει Κέφαλος*. Cephalus ergo qui nihil nisi iaculum Procridis petivit, etiam canem accepit. Uxor vero plus quam coniunx postulavit, pollicita esse dicitur [2]. Quod quid fuerit frustra interrogamus; dubitationi igitur vix obnoxium est, post *καὶ* quin *κύνα* exciderit: *καὶ ⟨κύνα⟩ προςυπέσχετο δώσειν κτλ.*

p. 237, 24 verba *ἣν ἂν ἐκ τῶν Τηλεβόων λάβῃ* suam sedem deseruerunt. Quae post *λείας* (v. 23) ponamus propterea necesse est, quod Amphitruo contra solos Teleboas (cf. Apoll. II, 4, 6 sq.) pugnaturus fuerit. Ceterum *Τηλεβοῶν* rectius exarabimus, quoniam *Τηλεβόαι* et omnino usitatius est et v. 29 *ἐπὶ Τηλεβόας* reperimus. Displicet autem etiam v. 22 *εἴ γε*, nam ut alteram voculam omnino apud Antoninum deesse hic omittam, exspectamus potius *εἴ πως*; cf. p. 217, 28 *ἱκέτευσεν, εἴ πως αὐτῇ .. δύναιτο γενέσθαι* et 235, 13 *ἐπειράθη .. εἴ πως αὐτῷ δύναιτο.*

Non sanare contigit, quae p. 237, 28 leguntur *καὶ ἐπειδὴ Ἀμφιτρύωνος ἰόντος ἐδεήθη Καδμείων ... συντίθεται Ἀμφιτρύων κτλ.* Genetivum enim absolutum quis tandem comprobare [3] potest? Apertum est in *οσιουντος* aliquid novi latere, quandoquidem *Ἀμφιτρύων* nominativo restituto illae litterulae supersunt. Quibus quid faciam animus ambigit. Fortasse subest *ὁσιῶ* quod Apollodori narrationem (l. c.) [4] si comparamus, ita ad orationis tenorem accommodari potest, ut etiam Antoninus Amphitruonem a Thebanorum rege ante bellum parricidio expiatum esse obiter commemoraverit. Praeterea in eadem enuntiatione levior eluenda est macula: post *συστρατεῦσαι* (v. 30) *καὶ* prave intrusum est [5], quo deleto lego *κἀπεὶ δὴ Ἀμφιτρύων ... ἐδεήθη ... συστρατεῦσαι, οἱ δ' οὐκ* [6] *ἔφασαν ... συντίθεται Ἀμφιτρύων κτλ.* Eandem structuram legimus p. 215, 13 *ἐπεὶ δὲ αὐτοὺς ... λῃσταὶ συνελάμβανον, οἱ δ' ἐκ τῶν πύργων ἔβαλλον, πῦρ ἐνέβαλον* (aoristum pro imperfecto revocabimus) *οἱ κλῶπες εἰς τὰ οἰκία.* Pronomini vero *ὅδε* priore loco nemo patronus exsistet serio.

---

[1] Num fortuita similitudo cum anonymi verbis (West. ed. p. 348, 16 sq.) *ὑπέσχετο ... μηνύσειν, ἐὰν αὐτῷ τῆς ὥρας ἀποχαρίσηται?*

[2] Nempe animadvertas velim praepositionem *πρὸς* in verbo composito.

[3] Talis socordiae apud Antoninum ne unum quidem legitur exemplum, aliter vero exempla se habent, quae Kuehner l. c. § 494 a collegit; cf. etiam Useneri l. c. p. 33 'den genetiv absolutus bei gleichem Subject hat P. noch mehrmals ... erst durch Verwahrlosung'.

[4] *Ἀμφιτρύων ... παραγενόμενος εἰς Θήβας ὑπὸ Κρέοντος ἡγνίσθη ... ἐπὶ Τηλεβόας στρατεύει Ἀμφιτρύων καὶ παρεκάλει συλλαβέσθαι Κρέοντα.*

[5] Quod factum est etiam p. 207, 17 et 232, 5.

[6] In codice *οἱ δ' οὐκ* rectissime sic exarata sunt.

Ad Antonini orationem restituendam semel adhibui Apollodori de Amphitruone verba; inclinat animus, ut iterum faciam in his, quibus Apollodorea opponam:

Antoninus p. 237, 24 sqq.	Apollodorus l. c. (p. 51, 8 sq. ed. Hercher.)
ἐφάνη γὰρ ἐν ⟨τῷ⟩ χρόνῳ τούτῳ Καδμείοις ἀλώπηξ, χρῆμά τι ἐξηλλαγμένον· αὕτη συνεχῶς ἐκ τοῦ Τευμησσοῦ κατιοῦσα πολλάκις τοὺς Καδμείους ἡρπάζετο· καὶ αὐτῇ προὐτίθεσαν παιδίον διὰ τριακοστῆς ἡμέρας, ἡ δὲ κατήσθιε λαμβάνουσα.	*ἔφθειρε γὰρ γῆν Καδμείαν ἀλώπηξ θηρίον* [excidisse videtur epitheton velut *ὑπερφυές*] . . . *ἀδικουμένης δὲ τῆς χώρας ἕνα τῶν ἀστῶν παῖδα οἱ Θηβαῖοι κατὰ μῆνα προετίθεσαν αὐτῇ πολλοὺς ἁρπαξούσῃ, τοῦτο εἰ μὴ γένοιτο.*

Maxime medialis forma *ἡρπάζετο* displicet, quae neque alibi apud Antoninum [1] occurrit (cf. p. 208, 22 *τὸ θηρίον ἐπιφοιτῶν ἀνήρπαζεν . . . τὰ θρέμματα καὶ τοὺς ἀνθρώπους*, et p. 230, 17 *ἥρπασαν*), neque omnino codicis nititur auctoritate, in quo legimus *ἡρπάζετο καὶ* i. e. *ἥρπαζέ τε καί*. Tamen etiam hanc amplecti scripturam dubito, quoniam Antoninus idem certe quod Apollodorus dicturus fuit Thebanos puerum si monstro apponerent, non vexatos fuisse rapinis (cf. etiam quae scriptor p. 208, 25 rettulit). Addo quod syllaba *-το* in rasura codicis collocata est [2]. Quocirca nescio an dederit Antoninus Liberalis *τοὺς Καδμείους ἥρπαζεν εἰ μὴ αὐτῇ προὐτίθεσαν κτλ.*

Haec habui quae de contextu scriptoris dicerem, in quo quam multa nondum sanata sint, hercle non ignoro. Tamen operae pretium esse visum est multas difficultates si non expedire tamen in lucem proferre, utpote quae omnino adhuc latuerint.

---

[1] Cf. Palaephati fab. VIII (p. 278, 8 sq. ed. Westerm.) *φασὶ περὶ τῆς Τευμησίας ἀλώπεκος ὡς ἁρπάζουσα τοὺς Καδμείους κατήσθιεν.*

[2] Cf. p. 26 diss.

II

Quamvis complura quae huc pertinent, iam supra identidem attigerim, de scriptoris sermone paulo fusius diligentiusque disceptare propterea operae pretium esse visum est, quod inde aetatis, qua Antoninus floruerit, adhuc prorsus ambiguae nota fortasse inveniri potest, et Antonini elocutionem per se ipsam non indignam esse intellexi in quam cum industria inquireremus.

Et ut a verborum supellectile incipiamus, a poetarum compilatore multas poeticas usurpatas esse voces nemo demirabitur. Ac ne id quidem mirabimur, quod perrara aliquot occurrunt vocabula et exquisitissima, fontes quibus ʻlabra proluitʼ scriptor, imprimis poetas Alexandrinos fuisse [1] si nobiscum reputaverimus. Quare sane quae est de temporibus Antonini quaestionem quodammodo impediri apparet. Primo ergo laterculo eas in conspectu ponere liceat voces, quae nisi a poetis omnino adhibitae esse non videntur [2]. Ecce verba a pedestri oratione plane aliena [3]:

1) *διχόμυθος* p. 223, 29. Solon. fragm. 42, 4 (quod Soloni abiudicat Bergkius, Cobetus ibi perperam *διχόθυμος* scripsit); Eur. Or. 890.

---

[1] Utrum ex ipsis poetis an e fonte secundario Antoninus hauserit, hic nolim decernere.

[2] Dico videntur, longius enim ut progrediamur, quae est in hac re subsidiorum adhuc natura haud permittit. Adhibui vero praeter thesaurum Dindorfii: The new Phrynichus by Rutherford, indicem Aristotelicum Bonitzii, Diodori indicem a Wesselingio confectum, lexicon Plutarcheum Wyttenbachii, Pappi Alexandrini ... Graecitatis indicem conf. Hultsch, vocabulorum quae in Iamblichi de vita Pythagorica libris leguntur laterculum quem editioni suae addidit Nauckius, lexicon Lucianeum Reitzii, Reimari vocabulorum quae apud Cassium Dionem occurrunt laterculum, Wahlii clavem Vet. Test. philologicam, lexicon Nov. Test. auctore Grimm, Veitchii greek verb. irregular, Greek Lexicon of the Roman etc. Periods by E. A. Sophocles.

[3] Nimirum scriptores qui Ionica utebantur dialecto, sub eandem cadunt rationem; nescio igitur, an huc pertineat etiam *αἰγυπιὸς* (p. 206, 17) avis nomen, de quo Suidas dicit *αἰγυπιόν· οὕτως οἱ παλαιοί, ἀλλ' οὐ γῦπα* (cf. Rutherford. l. l. p. 19 an. 3), tamen cum p. 222, 16 *γὺψ* quoque et ipsum in Boei narratione occurrat, rectius fortasse duas distinguemus volucres.

2) ἐκλιμπάνω p. 217, 10 et 223, 4. Eur. El. 909 et Med. 800. Eius loco posteriores saepius καταλιμπάνω adhibebant.

3) ἐρεμνός p. 220, 16; sed cf. p. 19 ann. 4 diss.

4) ἐρωῶ p. 207, 24; cf. vero p. 9 ann. 2 supra.

5) θέραψ p. 214, 23; 218, 20; 220, 7. Eur. Ion. 94 et Suppl. 762; postea apud poetas anthologiae Palatinae; inter voces Creticas enumeratur a gramm. in Bekkeri anecd. p. 1096.

6) καταφράζω p. 211, 28. Aor. pass. activa significatione Herod. IV, 77 quoque legitur; aliae formae Pind. Ol. X, 68; Hesiodi Op. 248; Sol. frg. 13, 38. Arrianus vero An. III, 2, IV, 8, Ind. 5, 11 ἐπεφράσθεν adhibuit.

7) κορεία p. 227, 27 = παρθενία p. 212, 15. Lycophr. 354; apud poetas anthol. Pal.; Nonn. Dion. 32, 34 et 33, 352; Christod. Ecphr. 365.

8) κρηνίς p. 211, 14. Eur. Hipp. 208; Theocr. I, 22? (Mosch. III, 29 de deabus aquariis.)

9) τὰ μήδεα = αἰδοῖα p. 218, 7. Post Homerum Hesiodus Theog. 180.

10) νεικῶ p. 216, 25. Homerus saepe, Herodotus bis. Eius loco Antoninus bis (p. 209, 26 et 229, 23) singularem circumlocutionem νεῖκος αἱρεσθαι adhibuit.

11) νυκτίφοτος p. 216, 11. Lycophr. 225; Orph. in Dianam hymn. 6; Synes. hymn. 2, 3. Aesch. Prom. 656 lectio perincerta est, Kirchhoffius ibi codicem Mediceum secutus νυκτίφαντ' ὀνείρατα scripsit, Nauckius vero secundum Lycophronem νυκτίφοιτα δείματα.

12) πλανῆτις p. 224, 2. Lycophr. 998; Charinus Ptol. Hephaest. ed. Westerm. p. 199, 10; denique vocem Byzantini receperunt.

13) πόρτις p. 223, 9. Praeter poetas adhibuit fortasse etiam schol. Ioseph. A. I. VI, 1, 2 (ubi vulgo δαμάλεις legunt).

14) συμπαίκτρια[1] p. 220, 30 et p. 230, 3. Aristoph. ran. 411.

15) συνάντομαι p. 232, 25. A poetis pro συναντάω frequentatum[2].

16) τῖμος p. 218, 1 (sed dubiae fidei, quoniam in codice eget accentu et loco ut videtur spurio reperitur; cf. Hercheri commentationem in Hermae vol. XII p. 317 sqq.). Archil. fragm. 78, 2; Aeschyl. Choeph. 909.

In vocabulis hic coacervatis duas res velim animadvertas. Primum enim hinc quoque cognosci potest, Euripidis elocutio quan-

---

[1] Non opus est συμπαίστρια cum Berkelio scribere; cf. Rutherford. l. l. p. 313.

[2] Cf. Rutherford. l. l. p. 349.

tum apud posteros valuerit, deinde quae Lycophroni placebant, eadem Nicandro [1] placuisse contendere non dubito.

Alteram eorum constitui classem verborum, quae e poetarum thesauris aenea pedestrium scriptorum proles arripuit. Nescimus ergo, ea utrum Antoninus aequales secutus adhibuerit an e fontibus ipsis deprompserit.

Frustra vero ut opinor, ante Plutarchi aetatem [2] talia pleraque in soluta oratione quaeritabis, qualia sunt:

1) *ἄγγος* p. 210, 9 [3]. In prosa multo rarius quam *ἀγγεῖον* usurpatum est, velut Diosc. V cap. 132; Luc. de Syria dea c. 60; semel in Novo Test. ev. Matth. 13, 48.

2) *ἀγκύλος* p. 222, 19, sed loco spurio; cf. p. 22 diss. Sensu proprio Luc. Merc. Cond. 3; Moschion ap. Stob. Ecl. lib. I p. 242; sensu translato iam Dion. Hal. et Luc. Herm. 15; Pappus *λοξὸς* vel *κλιμένος* dixit.

3) *ἀπαγχονίζω* = *ἀπάγχω* p. 215, 7. Hippocr. p. 562, 32 ed. Mercurial.; argum. Eur. Hipp.; Laert. Diog. p. 52; Cass. Dion. ed. Reimarus p. 72, 2 (ibi pro *ἀπηγχονήθησαν* recte corr.); alia significatio Luc. Lexiph. c. 11 'solvere laqueo'.

4) *εἰλαπίνη* p. 204, 27 et p. 216, 5. Luc. Icar. c. 16; Plut. Mor. (ed. Francof. 1599 et 1620) T. II, p. 169 D; cf. Athen. VII p. 362.

5) *ἐνερείδω* p. 227, 12. Saepius apud recentiores, non semel Plut.; Luc. Nigr. c. 7; Iamblich. de vita Pyth. cap. VI § 65; alias.

6) *ἔντομα* sc. *θύειν* p. 205, 21 et p. 234, 5. Hac significatione satis rarum est, etenim non inveni nisi Herod. II, 119; Apoll. Rhod. I, 587 (cf. scholia *κυρίως τὰ τοῖς νεκροῖς ἐναγιζόμενα*), ib. II, 326; Plut. Mor. II, p. 857 B (pro *ἐντομὰς* corr.); de inferiis Orph. Arg. 569. 956. 1368. Cf. denique Et. M. s. v. et Hesych. et Greg. Naz.

7) *ἐπάιστος* p. 232, 6; 'vox Herodotea'. Anonym. de incred. p. 322, 28 ed. Westerm. (ubi excidit particula *οὐκ*, lego ergo *ὥςτ᾽ οὐκ ἐπάϊστος κτλ.*).

8) *ἐπαχλύω* p. 209, 22 'obscuror'. Arat. 906; Apoll. Rhod. IV, 1480; Quint. Smyrn. XIV, 461; sensu vero transitivo aliquotiens apud poteros, velut Themist. or. 11 p. 172 C ed. Harduin., 173 D; or. 19 p. 232 D ib.; Eust. opusc. p. 42, 67 ed. Tafel.; Greg. Naz. carm. 11, 158 ed. Migne; Heracl. alleg. p. 454 ed. Galeus.

---

[1] Nempe Nicander fabularum in quibus *χορεία* et *πλανῆτις* leguntur, velut auctor affertur. Neque minoris momenti est, quod Boeus rarissimum usurpavit epitheton *νυκτίφοιτος*, quo se ipse Alexandrinum esse quamvis invitus confiteri videtur; cf. Knaackii l. l. p. 3.

[2] Verba quae iam apud scriptores aevi Augusti occurrunt, consulto neglexi.

[3] Cf. Rutherford. l. l. p. 23.

9) *κακάγγελος* p. 216, 26. Aeschyl. Ag. 614; Plut. Mor. II, 241 B pro *κατάγγελος* rest.

10) *κάλπις* p. 211, 14. Plut. Mor. I, 915 C; Luc. Herm. cap. 57; ib. 40; Philostr. ed. Kayser vol. II p. 215, 4.

11) *κερτομῶ* p. 222, 13 [1]. Luc. Ocyp. 46; Galen. vol. 14 p. 656, 14; Cass. Dio p. 1071, 96; script. ecclesiastici.

12) *κρωσσός* p. 225, 17 'situlus'. Plut. vit. Alex. 20; cf. Poll. VIII, 66.

13) *μείλιγμα* p. 225, 8. Praeter alios poetas Nic. Ther. 896; Plut. Pomp. c. 47; Mor. II p. 987 E; Orph. Arg. 571; recentissimi.

14) *μόρος* p. 221, 10 [2]. Plut. Mor. I, 451 B; Phalar. ep. ed. Lennep. V, 23 et 25; in Vet. Test. iuxta LXX interpretes aliquotiens; deest in Nov. Test.

15) *ὁμῆλιξ* p. 216, 18. Luc. pro Imag. 13; Ocyp. 86; Apoll. hist. mir. c. 18; Poll. VI, 156; Plut. Mor. II, 120 A; ib. 595 B; Iamblich. de vit. Pyth. § 69; alias.

16) *παρθενία* p. 212, 15. Plut. Brut. 13; Apollod. III, 8, 2, 5; Ierem. 3, 4; ev. Lucae 2, 36; alias.

17) *συμφλέγω* p. 207, 3. Eur. Bacch. 595; Lycophr. 287, 740, 1157; Anthol. Pal. V, 111; Plut. Alex. cap. 60; Mor. eiusdem I, 689 E et II, 770 E; improprio sensu Max. Tyr. diss. 13, 4.

18) *τεκταίνω* p. 211, 9. Pro *τεκταίνομαι* activam formam primus adhibuisse videtur Apoll. Rhod. II, 379 et III, 592. Luc. Iud. Voc. 12; Sext. Emp. adv. phys. II, 282 p. 680; Anon. *περὶ ἀπίστων* (ed. West.) p, 322, 26; Phal. ep. 13 p. 71; scriptores eccles.

19) *ὑψιπέτης* p. 217, 8. Luc. Icar. 11.

20) *φύσις = αἰδοῖον* p. 237, 5. Nicand. (cui forte Antoninus hanc debet significationem) frg. 107; Moschionis qui vocatur de morb. mul. 3 et 47; Artemid. V, 63; Schol. Aristoph. Lysistr. 92; deinde script. eccles. et rei rusticae auctores; Diod. in excerptis Photii p. 521, 92; alios recentiores citat Ducangius.

Quoniam igitur vidimus, quam multae scriptoris voces e poetarum officinis prodierint, antequam cetera examinemus vocabula, haud absonum esse iudico Ionicas quas usurpaverit formas,, in conspectu ponere. Quas Ionicos secutus auctores non sine consilio retinuisse censendus est. Etenim inter recentiores Graeculos fuisse qui *Ὁμηρικῶς λαλεῖν* vellent, et Lucianus *τοὺς ὡς ἐπ' Ἀγαμέμνονος διαλεγομένους* ridens (quom. hist. scrib. cap. 22) et Arrianus [3], qui

---

[1] Cf. Rutherford. l. l. p. 15 ann. 12.

[2] Ib. ann. 14.

[3] Praeter librum illius *περὶ Ἰνδικῆς* Ionica dialecto totum exaratum

in eo ipse erat numero, pro testibus sunt. Etiam Antoninum non paucis uti formis Ionicis ex insequenti tabula apparebit [1], in qua primum nomina propria, postea cetera verba perscribam:

Εἰδοθέην p. 228, 15 (sed *Εἰδοθέας* p. 221, 25).

Θυρίη p. 213, 27; *Θυρίης* p. 212, 17.

Μεγανείρης p. 208, 29.

Πολυδώρης p. 229, 30.

Τιμάνδρην quater: p. 205, 27; 206, 5. 10. 23.

Τιμάνδρης p. 206, 1.

Τιτῆνας p. 233, 7.

Fortasse huc pertinet etiam *ἠέροπος* p. 218, 22 avis nomen, cuius in primis syllabis *ἀήρ* esse videtur; in scholiis quidem Aristophaneis (ad av. 1354) volucris *ἀέροψ* invenitur (lectio non plane certa, alii *ἀερόποδες* malunt).

ἀγροτέρης sc. *Ἀρτέμιδος* p. 205, 8.

φυτίῃ sc. *Λητοῖ* p. 218, 7.

αὖτις quinquies: p. 220, 19; 232, 30; 233, 24; 234, 20; sed p. 217, 32 interpolato quem iudico loco. Semel p. 223, 24 invenitur *αὖθις*, quam formam explosit Schneider. Itidem Parthenius ubique *αὖτις* adhibuit; cf. Herch. l. l.

γλήχωνα pro *βλήχωνα* p. 224, 5.

λαγωόν p. 213, 10. 11.

ὀπηδός p. 208, 11 [2].

πρηῶνι p. 223, 23 et *πρηών* p. 210, 18 (ad quem locum cf. Strabonis XIV p. 633).

διδοῖ forma imprimis Herodoto frequentata (cf. Krüger l. c. II § 36, 1, 2) occurrit p. 203, 18; 207, 14; 210, 19; 224, 4; 226, 11; 236, 34. *Διδῶσι* vero ter legitur: p. 207, 5; 211, 7; 220, 13 et *παραδιδῶσι* p. 211, 11.

οὔρεσκεν p. 237, 1 forma quae iterativa vocari solet.

Alia Ionica num scriptori ipsi debeantur, dubitare licet: *οἰκιήτης* p. 236, 22 ex *οἰκέτης* a pr. manu correctum est; contra *ἱρὸν* p. 236, 2 mihi non probatur, deest enim in codice accentus et spiritus, praeterea librarius lineola marginali corruptelam indicavit; cf. p. 23 ann. 6 diss. Accedit quod ubique Antoninus *ἱερὸς* dixit.

---

multos Ionismos videas quaeso quos collegit Grundmannus in diss. 'Quid in elocutione Arriani debeatur Herodoto' Berolini 1884 p. 52 sq.

[1] Etiam Parthenius complures admisit Ionismos; cf. Hercheri annotat. ad p. 23, 27 in vol. primo script. erotic.; vidit hoc iam Cobetus in variis lect. p. 203 et p. 301 sqq.

[2] A glossatore per *θεράπων* explicatum; cf. p. 11, ann. 4 diss.

Dubiae fidei etiam αἰεὶ[1] p. 218, 23 est, nam p. 235, 31 ἀεὶ reperitur. Neque diiudicare ausim de formis αἰετὸς (p. 207, 8 et 220, 15[2], ibidemque ὑψιαίετος) et ἀετός (p. 213, 10; 215, 25[2]; 220, 17). Admodum infirmo nititur fundamento p. 224, 22 ἱλάσσασθαι, nempe p. 205, 8 ἱλάσασθαι praesto est. Corrigo porro p. 219, 7 ἀρύσαντο (cf. p. 13 ann. 1 diss.), quod ex praecedenti ἀρύσωνται ortum esse arbitror et alteram formam verbalem mira sane constantia a librariis Byzantinis depravatam augmentoque suo orbatam[3] ἴδεν pro εἶδεν p. 218, 4. 20; 219, 8. 14. 21; et περιΐδεν pro περιεῖδεν p. 215 16[4]. Sescenties enim haec confusio commissa est inveniturque in eodem codice Palatino apud Parthenium[5]. Nescio an ubique scriptori σσ restitui oporteat, quamvis cavendum sit, ne obtrudamus ei aequabilitatem, quam ipse non quaesierit. Stant enim a nostris partibus viginti exempla[6] (φυλάσσειν p. 207, 11; διαφυλάσσειν p. 230, 24; ἐκορύσσετο p. 208, 6; θάλασσα p, 209, 23; 213, 3. 7; 227, 9; κρωσσόν p. 225, 17; λύσσα p. 220, 6; μέλισσα p. 214, 8. 11. 13. 15; 218, 25; 219, 7. Θεσσαλίας p. 205, 25; προςέτασσον p. 220, 3; 221, 21; Βύσσα p. 216, 3. 22), contra undecim (φυλάττω sexies p. 223, 7; 228, 3. 9; 233, 7. 10. 12; ἐπιτάττω bis p. 213, 5. 15; ἀπαλλάττω p. 232, 24; μέλιττα p. 219, 3; Θετταλοῖς p. 222, 22). Sed vereor ne in re perpusilla nimius fuerim: nimirum hoc manifestissimum est ex verbis et formis congestis cunctis ad aetatem Antonini definiendam nos non multum lucrari posse, quod ea si quis omnia e poetis quos auctor libelli compilasse videtur, hausta esse dicet, quis est qui iure denegare possit? Itaque multo maius pondus iis inesse vocibus apparet, quae a poetica dictione et prorsus abhorrent neque prius quam apud scriptores gentis Iudaicae et apud Plutarchum eiusque

---

1 Eadem forma ambigit Woelfflinus num a Polyaeno usurpata sit in annotatione critica ad pag. 3, 4, ubi Polyaeni Ionismos diligenter collectos reperimus.

2 Sed cf. p. 19 ann. 3 diss.; de αἰεὶ et αἰετὸς formis vide quoque Rutherford. l. l. p. 112 et Meisterhansii 'Grammatik der attischen Inschriften' p. 14.

3 In Parthenii editione ab Herchero curata p. 7, 11 ἴδεν scriptura codicis a Passowio in εἶδεν emendata. Contrarium vitium elutum est ib. p. 8, 11, ubi προειδόμενος a membrana suppeditatur.

4 Hariolatur in annotatione critica Westermannus, qui περιΐδεν in codice non clare apparere dicit.

5 Dubites etiam de κοῦρος forma (cf. Apollod. III, 15, 8, 5 et Con. narr. 7 p. 127, 26 ed. West.), quae ter tradita est (p. 208, 27; 217, 24; 229, 23); κόρος vero quater (p. 217, 23. 28; 218, 6; 227, 23); sed ubique (duodecies) κόρη.

6 In quibus etiam ea quae suspectis leguntur locis numeravi.

aequales occurrunt. Illae vero tales sunt, ut Antoninum si ante secundum p. Chr. saeculum vixisse infitiabimur, a vero vix declinaturi simus. Sed de paucis quae huc faciunt verbis iudices ipse:

1) ἀνάθεσις (sc. τοῦ χρόνου) p. 231, 22 'dilatio'. Hoc sensu rarissimum [1], Herodian. VII, 4, 6; cf. Poll. IX, 137. Sine iusta vero causa Nauckius apud Antoninum pro χρόνου scripsit γάμου.

2) εἰςαποστέλλω p. 236, 21. Argum. Eur. Or. initio; paucissima isto modo composita sunt verba, nam apud bonos scriptores non inveniuntur nisi εἰςαφίημι et εἰςαφικνοῦμαι, quibus accedunt verbum ab Apollonio Rhodio ut videtur formatum εἰςαποβαίνω (Argon. IV, 650 et 1781) et εἰςαποκλείω, quod apud Severum rhetorem (in ed. Galei p. 229) semel inveniri Dindorfius dicit.

3) ἱερουργῶ p. 219, 21. Primus quod sciam Philo Iudaeus; post eum omnes fere scriptores recentiores.

4) κλοπιμαῖος p. 223, 19. 27. Pro κλοπαῖος quod priores adhibuerunt, Lucianus Icarom. cap. 20; Poll. VIII, 33; script. eccles., apud quos etiam κλοπιμαίως adverbium occurrit, e. g. Euseb. Praep. ev. II. 1416 B alibi.

5) κριμνῶ p. 215, 6. Sic enim, non κρημνῶ aut κρήμνημι ubique scribendum esse demonstravit Naber Mnem. nov. vol. IX p. 70; cf. Nauckii ad Iambl. v. Pyth. p. 166. Eoque tendit lectio codicis Palatini, in quo η correctori debetur. Luc. Asin. cap. 24, L. D. VI, 50 pro κρίμνημι, quod et ipsum poeticum fuit [2].

6) οὐρῶ p. 237, 1 = ἀποσπερμαίνω. Ipse non investigavi ita usurpatum nisi Schol. Σ 486; cf. Meinek. Analecta Alexandrina p. 133 et Westermannianae editionis mythographorum p. 275, 11, quo loco quidam cui ignotus ille verbi erat usus, ὥςπερ addidit, quod quam citissime velim deleas.

7) παροδεύω p. 223, 31; cf. p. 22 supra. Iosephus B. I. V, 10, 2; Lucianus et Plutarchus saepius, alii qui postea floruerunt.

8) προςυπιχνοῦμαι p. 237, 16. Plut. v. Demetr. c. 10; Cassius Dio non raro e. g. p. 174, 5; Aristid. vol. I p. 371 ed. Did.; Clem. Alex. I, 360 A; II, 633 C; script. Nov. Test.

9) συνδίαιτος p. 228, 27 = συνδιαιτητής. Schol. α' 238; Tatianus (ed. Morell.) p. 152 D; Theon. Smyrn. (ed. Bouillald.) p. 19 A; recentissimi.

---

[1] Phrynichus eos qui ἀνατίθεσθαι hoc sensu usurpant, vituperat; cf. Rutherf. l. l. p. 292.

[2] Cf. Veitchii l. l. 'κρημνῶ is very partially used, and late... κρημνᾶν Xen. Ephes. II, 13 (κρεμν- Passow): mid. κρημνᾶται, κατα- Diosc IV, 46: but imperf. ἐκρημνῶντο, κατ- as early as Hom. Hymn. VII, 39'.

Restat, ut *ἅπαξ εἰρημένα* quae videntur esse [1] aut non commemorata nisi a veteribus lexicographis quos appellamus, breviter afferam:

1) *ἄθορος p. 215, 6 = ἀνόχευτος.

2) *ἐκθυμαίνω p. 207, 28.

3) *ἐλλοβῶμαι p. 211, 24.

4) *θορίσκομαι p. 227, 30 = θόρνυμαι; deest ap. Curtium 'Griech. Verbum' ed. sec. vol. I p. 283.

5) κλεμμύς p. 230, 5. 6. 8; Hesych. s. v. per χελώνη explicat, itemque glossator in margine cod. Pal.

6) *βύξα p. 210, 15 (sic enim in codice legitur, non βύζα, quod editiones exhibent); p. 216, 20 βύσσα avis nomen occurrit quod num idem sit, cum Munckero vix ambigi licet.

7) *ἠέροπος; cf. p. 34 diss.

8) *δρακοντίς p. 209, 30.

9) *κέρβερος p. 219, 12.

10) *σχοινεύς p. 208, 8.

Antoninum tamen abdita illa et quaesita usurpantem verba si quis variandae dictionis studio legentium animos delectare opinatur, graviter errat. Sicut plerique Graeculi [2] posteriores in certis dictionibus et voculis haeret, quas usque ad taedium iterare non veretur. Repetit aliquotiens totas periodos, velut:

p. 214, 16 sqq. *ὁ δὲ παῖς ἐπεὶ τάχιστα ἠνδρώθη, ἀνὴρ ἐγένετο γενναῖος καὶ πλείστων ἦρξε ... καὶ πόλιν ἔκτισεν.*

p. 230, 13 sqq. *οὗτος ἐπεὶ τάχιστα ἠνδρώθη, ἀνὴρ ἐγένετο πάντων κρατῶν καὶ ἔκτισε πόλιν.*

vel p. 202, 3 *καὶ ἡ παῖς αὐτὸν ἰδοῦσα ... ἠράσθη.*

p. 205, 27 *οὗτος ἰδὼν Τιμάνδρην ἠράσθη.*

p. 225, 28 *καὶ αὐτὸν ἰδοῦσαι νύμφαι ... ἠράσθησαν.*

p. 235, 2 *οὗτος ἰδὼν τὴν θυγατέρα ... ἠράσθη.*

cf. etiam p. 230, 4 et p. 201, 23 sq.

vel p. 212, 25 *ἐφάνη γὰρ ἐν ἐκείνῳ τῷ χρόνῳ μέγα τι χρῆμα λέοντος ἐν Αἰτωλοῖς.*

p. 237, 24 sq. *ἐφάνη γὰρ ἐν ⟨τῷ⟩ χρόνῳ τούτῳ Καδμείοις ἀλώπηξ, χρῆμά τι ἐξηλλαγμένον.*

p. 208, 20 *θηρίον μέγα καὶ ὑπερφυές* [3].

p. 213, 6 *γῦπες ὑπερφυές τι καὶ μέγα* [4] *χρῆμα.*

---

[1] Quibus asteriscum praefigam.

[2] Cf. Hercheri in editione libelli de fluviis praef. p. 5, et Roberti de Apollodori bibliotheca p. 41 sq.

[3] Cf. Xen. Cyr. I, 4, 8 *ἔλαφον καλόν τι χρῆμα καὶ μέγα.*

[4] Cf. Dion. Hal. de Dem. 22 *ὑπερφυές τι καὶ δεινὸν χρῆμα.*

p. 222, 5 ἐξαίσιον γάρ τι καὶ ἄπιστον χρῆμα χειμῶνος[1].

In quibus exemplis circumlocutionem per χρῆμα factam noli praeterire, quam si adhibebant recentiores, ἀττικίζειν sibi videbantur[2]. Praeterea conferas:

p. 228, 20 αὐτὴν δ' ἄφατος ἔρως ἐξέμηνε τοῦ Καύνου
et p. 231, 22 δεινὸς γὰρ αὐτὴν ἔρως ἐξέμηνεν ἐπὶ τῷ πατρί.

p. 223, 25 πειρώμενος, εἰ αὐτῷ συμμένειν ... ἐθέλει
et p. 236, 19 ἐπειρᾶτο τῆς Προκρίδος, εἰ συμμένειν ... αὐτῷ ἐθελήσαι.

p. 216, 4 ἡ δὲ γῆ πλεῖστον αὐτοῖς ἐξέφερε καρπόν.
et p. 234, 1 καὶ αὐτοῖς (sc. ἡ γῆ) ἐξέφερε πλεῖστον καρπόν.

Sed haec hactenus: ex magna copia ista delibasse specimina satis est[3]. Unum tamen de repetitionibus addo. Exempla quae protuli, fere omnia ita comparata sunt, ut Antoninum magis non potuisse variare quam noluisse iure efficiamus. Etenim in levissimis quibusdam minutiis omnia fere differunt affluuntque variationes exiles et ineptae, quales sunt: p. 232, 24 λύκοι δὲ ὑφηγήσαντο et paulo post ἀπὸ τῶν καθηγησαμένων λύκων; p. 223, 26 sq. χλαῖναν ... χλαμύδα; p. 223, 31 κρύος cum fuerit antea κρυμός; p. 232, 3 ἄχαρι καὶ ἄθεσμον ἔργον, sed v. 12 δι' ἔργον ἀθέμιστον; vide quoque p. 210, 2 et 12; 219, 21 et 23; alia[4] quae enumerare longum est. Quandoquidem vero ubi ad interitum vergit lingua, verborum copia magis magisque evanescente fieri non potest, quin praecipue praepositiones et particulae pessum eant, non sine momento esse videtur, quod apud Antoninum ut rariores voculas omittam, ἀνὰ[5] et ἀμφὶ[6] praepositiones plane desunt, quarum notiones κατά, παρά, περὶ induerunt: Dubia autem est γὲ particula (cf. p. 28 diss.), utpote quae uno loco qui etiam alio nomine suspectus sit, inveniatur[7].

---

[1] Vide Dion. Hal. A. R. III, 70 βότρυος ἄπιστόν τι χρῆμα et Athen. VII, 188 ἦν τοῦ χειμῶνος χρῆμα ἀφόρητον.

[2] Attici hanc locutionem Ionibus debuerunt; cf. Poll. IX, 87. Inter recentiores praecipue Lucianus adhibuit.

[3] Consulto eas neglexi repetitiones quae in eadem historiola inveniuntur, quippe quas nemo primo obtutu non videat.

[4] Cf. e. g. formulas ἵναπερ εἱστήκει p. 205, 18; 223, 25 et ὅθιπερ εἱστήκει p. 233, 16; 235, 14; 231, 25. Imprimis abutitur Antoninus verbo ἀπάγειν; cf. e. g. p. 213, 2 sqq. ἀπήνεγκε .. ἀπενεγκεῖν .. ἀπενεγκεῖν .. ἀπήνεγκεν .. ἀπαγαγεῖν .. ἀπήγαγεν.

[5] Cf. Krebs. Praepos. bei Polyb. p. 33 ann. 4.

[6] Cf. ibid. p. 98 ann. 4; deest ἀμφὶ plane iam apud Aristotelem, Theophrastum, Polybium. Redire eam tamen apud Parthenium vidi; legitur ibi quater (p. 158, 13; 163, 1; 163, 28; 171, 6 ed. West.).

[7] De γὲ particulae apud posteriores usu alibi agam.

Transeamus ad alteram particulam qua nonnullas structuras et proprietates scriptoris syntacticas tractare mihi proposui. Tamen quae huc faciunt, perpauca sunt nec magnae utilitatis. Nimirum Antoninus, quem in verbis eorumque formis quam maxime obsoleta et recondita captasse intelleximus, syntaxis ratione satis modeste se gerit neque multa quae observatione sint digna praebet. Universe vero Antoninum vacare barbarismis contendimus [1], quamquam in singulis rebus delabentis Graecitatis indicia deprehenduntur. Imprimis huc refero *εἰρομένην* quae vocatur a grammaticis *λέξιν*, qua singulae inter se enuntiationes rustica saepenumero et rudi ratione iunguntur [2]. Quod loquendi genus ita a scriptore frequentatur, ut aliquotiens (p. 211, 9 sq.; ib. 22 sq.; 225, 25 sq.; 228, 24 sqq.) quinque deinceps habeas verba finita quadruplici [3] *καὶ* inter se conexa. Foedissima tamen omnium hoc nomine sunt haec p. 206, 26 sq.: *οὗτος ἐβασίλευε ... καὶ ἐγένετο δίκαιος καὶ πλούσιος καὶ ὅσιος καὶ ἱερὰ πλεῖστα ἐποίησεν Ἀπόλλωνι, δίκας τε πλείστας ἐδίκασε, καὶ αὐτὸν ἐμέμψατο ἄνθρωπος οὐδείς, ἀλλὰ ἑκόντων ἡγεῖτο πάντων καὶ πρὸς ὑπερβολὴν αὐτοῦ τῶν ἔργων μετέβαλον οἱ ἄνθρωποι τὰς τιμὰς τοῦ Διὸς καὶ ἔγνωσαν αὐτὰς εἶναι Περίφαντος, καὶ ἱερὰ καὶ ναοὺς ἐποίησαν αὐτοῦ καὶ Δία Σωτῆρα προσηγόρευσαν καὶ Ἐπόψιον καὶ Μειλίχιον.* In quibus duodecies *καὶ* legimus. Mentionem porro faciam de quodam particularum *τε καὶ* apud Antoninum aliosque scriptores usu, quem detexit Hercher (Script. erot. vol. II p. XXIV sq.). Usus vero ille est, ut *τε* non ad insequens nulloque verbo a *τε* disiunctum *καὶ* referatur, sed eam cui adiecta est vocem, praecedenti adiungat [4]. Velut Antoninus p. 221, 29 sq. scripsit *λέγεται ... μουσικώτατος γενέσθαι ... καὶ διαβοηθῆναι καὶ ... συνθεῖναι καὶ ... κεχρῆσθαι* [4], *πλεῖστά τε καὶ κάλλιστα μέλη ποιῆσαι* [5]. Antoninus vero ut in coniungendis enuntiatis admodum simplici utitur ratione, ita in periodis ipsis conformandis variatione prorsus caret. Notabile autem esse visum est mihi, quotiens *ἄχρι* particulam frequentarit ita ut ab ea apodosim inciperet [6]; cf. p. 203, 13; 209, 25; 210, 3. 13; 222, 11; 224, 25.

---

[1] Cf. p. 4 ann. 2 diss.

[2] Cf. Grundmann. l. c. p. 33 sq.

[3] Triplici *καὶ* copulata sunt quattuor verba finita haud raro, e. g. p. 209, 19 sqq. et p. 217, 7 sq.

[4] Rectius igitur virgulam delebimus.

[5] De hoc usu alibi copiosius agam.

[6] *Μέχρι* prope deest neque legitur nisi post vocales (p. 211, 13 *ἔργα μέχρις ἡ* et p. 213, 17 *λαβόντα μέχρι πρός*). Eodem modo Philo Iudaeus hiatus vitandi causa post consonantes *ἄχρι*, post vocales *μέχρι* adhibuit; cf. Buecheleri Philonea mus. Rhen. nov. ser. vol. XXXII p. 434 et Krebsii Praepositionsadverbien d. späteren hist. Gräcität part. II, p. 3.

Rarius ἄχρι in protasi legitur velut p. 210, 24 et 228, 21 [1]. Ceterum ut levius aliquid attingam, ἄχρι formam ante consonantes posuit Antoninus; cf. p. 210, 3. 24; 212, 3; 213, 23; 228, 21; 229, 6; 232, 26 et semper ἄχρι νῦν; vide exempla, quae attuli p. 5 diss.; ἄχρις ante vocales p. 203, 13 et p. 209, 25 [2]. Itaque corrige sodes p. 222, 11 ἄχρι αὐτὸς et p. 211, 22 ἄχρις πρὸς in ἄχρις αὐτὸς et in ἄχρι πρός [3]. Quoniam autem iam supra vidimus [4] Antoninum etiam praepositiones ante vocales elidere, arbitretur fortasse quispiam omnino hiatum ab eo vitatum esse. Tamen vitatus non est. Obstrepunt plus quinquaginta exempla, quae omnia removere nimis temerarium esset [5]. Etiam ex hac re aliquid de Antonini aetate fortasse concludere licet. Nimirum sophistae, quorum in numerum scriptorem nostrum refero, quarto et quinto saeculis Cassii Longini exempla secuti ad unum omnes hiatum artissimis circumscripserunt finibus [6]; idem in eos qui ante Lucianum florebant, cadit: elucet ego eadem fere temporum ratio, quam supra (p. 33 et 35) commendare conati sumus.

---

[1] Ἕως plane deest apud Antoninum.

[2] Itidem Apollodorus in bibliotheca μέχρι et μέχρις usurpavit; qua de causa Hercher perperam temptavit I, 3, 4 μέχρις εἰς; I, 3, 7 μέχρις Ἡρακλῆς; I, 9, 21, 7 μέχρις Ἐχινάδων; eandem formam alibi saepius revocari necesse est.

[3] De ἄχρι πρὸς cf. Krebs. l. c. I p. 38.

[4] p. 23 diss.

[5] Quamquam apud Parthenium, cuius libellus duas partes Antoniniani continet, centies hiatum neglectum esse vidi. Ceterum quoniam aliquis me argutior peculiarem quandam regulam quam Antoninus in admittendo hiatu secutus sit, fortasse dispiciet, omnia hiatus neglecti exempla apponere iuvat. Undecim fabulas hiatu carere hercle memorabile est. Sunt fabb. 3, 4 (cf. p. 7 diss.), 9, 14, 24, 28, 29, 31 (cf. p. 24 diss.) 32, 36, 37. Neglectus vero hiatus est p. 201, 27; 202, 11. 18; 203, 12; 205, 25*; 206, 11. 18*. 25; 207, 18; 208, 9. 20. 27; 209, 32; 210, 22; 211, 20; 213, 18. 29; 214, 1. 2. 19; 216, 5; 217, 2. 8*. 11. 17; 218, 21. 25. 27; 220, 19; 221, 4. 26; 222, 1; 223, 7. 25; 224, 20; 225, 21; 226, 17*; 228, 8; 231, 5. 26; 232, 17; 234, 24; 235, 1. 17; 236, 3. 7. 8. 24; 237, 7. 10. 11. 22; 238, 1. Omisi locos aperte corruptos, magis minusve suspectis addidi asteriscum. Praeterire nolo hiatum ll. ll. plerumque aut post ἐπεὶ et εἰ coniunctiones aut ante vel post αὐτὸς pronominis formas legi. Exstant vero quibus hiatus consulto vitatus esse videtur exempla (cf. supra p. 6 et 39 ann. 6), velut invenimus p. 211, 7 δίδωσιν ἀπάγειν, cum διδοῖ forma p. 207, 14 alias (cf. p. 34 diss.) ante consonantes legatur; p. 237, 16 praesto est ἐθελῆσαι τῆς, paulo post autem (ib. v. 22) ἐθελήσειεν ἅμα. Nescio an hac ratione defendi possint p. 228, 52 verba ἤλλαξαν ἀπ' ἀνθρώπων εἰς δαίμονα (pro ἀπ' ἀνθρώπου, sicut Muncker mutavit).

[6] Cf. de Rohden. 'De mundi miraculis' Bonnae 1875 p. 36 et 38 sqq.

Denique nonnullas afferam structuras vel locutiones, quas ad stili naturam recte aestimandam aliquid valere putavi. Legimus p. 224, 22 *ἱλάσσασθαι δύο τοὺς ἐριουνίους θεούς*: correxit O. Schneider *τοὺς δύο ἐριουνίους*[1] *θεούς*. Iniuria, nam eadem utitur appositione auctor libelli de fluviis cap. XXIII, 1, 9 *δύο τὰς εὐγενεστάτας παρθένους*, eumque latius patere usum ex Hercheri annotatione l. c. didici, qui laudat Ioseph. B. I. II, 12, 17; Heraclit. alleg. Hom. 39 p. 127; Plut. de vita et poesi Homeri 145. Dualis autem Antonino plane ignotus est, usurpat *δύο* vel *ἀμφότεροι*; cf. e. g. p. 207, 7; 230, 25; 233, 30. Porro a bonorum consuetudine scriptorum recedunt tales structurae:

p. 231, 1 *εἰ μὴ . . . ἐξελάσωσιν*[2].

p. 235, 31 *ἠγάπησεν ἀεὶ παρθένος εἶναι*[3].

p. 222, 13 *τοιαῦτα . . . ἐκερτόμησεν εἰς τὰς νύμφας*.

p. 227, 20 *κρατοῦσαι*[4] *τὰς ἑαυτῶν χεῖρας*.

Denique *αὐτὸς* pronominis usu Antoninus aetatem suam prodit; nimirum ubi Attici omittebant, ponit, et ita ponit molestissimeque repetit in eadem enuntiatione, ut modo huc modo illuc referat, velut p. 221, 27 *ἐγένετο δὲ αὐτῷ* (sc. *Κεράμβῳ*) *θρέμματα πλεῖστα καὶ αὐτὰ ἐποίμαινεν αὐτός. νύμφαι δὲ συνελάμβανον αὐτῷ, διότι αὐτὰς κτλ.*

Sed iam placet sistere gradum. Si paucis Antonini adumbrari vis elocutionem, in universum puram et expeditam esse dicas non expertem labentis Graecitatis indiciis, poetico quodam colore eoque non nimis exaggerato plerumque tinctam. Quo fit, ut saepius numeris astringi posse videatur oratio. Tamen nusquam ad calamistros et ampullas rhetorum vel eorum qui amatorias scripsere fabulas tendit. Neque vero contigit, ut ullum reperirem scriptorem, quocum in elocutione Antoninus artiore vinctus sit necessitudine, atque absurda fuit eorum sententia, qui de fluviis libellum olim Antonino assignarunt (cf. Hercheri ed. p. 32).

---

1 Etiam *ἐριούνιος* dignum est quod animadvertatur. Quantum scio, apud ceteros omnes scriptores non invenitur epitheti loco adhibitum nisi de Mercurio deo. Sapit Nicandrum.

2 Cf. Kühner l. c. § 398 ann. 2.

3 Ibid. § 484, 21, 3.

4 *Κρατεῖν* apud recentiores notionem habet apprehendendi. De *καλεῖν ἐπί τινος* cf. p. 6 diss.

III

Fontes unde hauserit Antoninus quicunque investigare studebit, a testium indiculis in margine codicis Palatini ad singulas fabulas ascriptis non proficisci non poterit. Illa autem testimonia non ipsi Liberali, sicut viri docti ad unum omnes olim putaverunt, sed erudito et vetusto deberi interpolatori Hercher tam certis subinde comprobavit argumentis et evicit [1], ut de hac re ne umbra quidem supersit dubitationis [2]. Antequam ergo de ratione quae inter Antoninum scriptoresque ut auctores allatos intercedat, certius iudicare possimus, de testimoniorum origine de fide litteratoris consilioque quaeramus necesse est. Quam quaestionem latius patere videmus altiusque repetendam esse, quandoquidem simillimos testium indices singulis Parthenii capitibus in eodem codice eadem fere ratione praefixos ex eadem prodiisse officina admodum probabile est [3]. Atque de scholiis Parthenianis Rohdius vir ingeniosissimus l. l. p. 115 ann. 2 fusius egit demonstravitque fide nostra utique digna esse, ut de illis supersedeamus oratione. Quamquam vero de Antoninianis scholiis idem statuendum esse nemo non protinus contendet — dixitque praecise Rohdius — tamen nonnulli restant scrupuli quos removeri oportet. Duo enim quantum scio loci sunt quibus litteratoris fidem ponderare et examinare liceat. Ad fabulam Antonini vigesimam sextam quae est de Hyla, scholiasta annotavit *ἱστορεῖ Νίκανδρος ἑτεροιουμένων δ΄*. Atqui evolvas quaeso Apollonii Rhodii scholia I, 1236 *Θεόκριτος ἐν τοῖς Βουκολικοῖς ἐν τῷ Ὕλᾳ ἐπιγραφομένῳ ὑπὸ πασῶν φησιν αὐτὸν τῶν νυμφῶν ἡρπάσθαι. Ὄνασος δὲ ἐν τῷ α΄ τῶν Ἀμαζονικῶν πεσόντα τὸν Ὕλαν φησὶν ὑποβρύχιον γενέσθαι. Καὶ Νίκανδρος ἐν τῷ δευτέρῳ τῶν ἑτεροιουμένων ὑπὸ*

---

[1] Vide philol. VII p. 462, Iahnii annal. LXXXI p. 452, praecipue Herm. XII p. 306 sq. Assenserunt Meinekius philol. XIV p. 7 et Rohdius in libro praeclaro 'Griech. Roman' p. 114.

[2] Hercheri sententiam impugnaverunt Schneider in ed. Nicandri p. 27 ann. 1 et Bergkius 'Griech. Litteraturgeschichte' vol. I p. 233.

[3] Cf. Hercheri l. l. p. 307; de Parthenianarum ascriptionum origine verum vidit ipse Cobetus var. lect. ed. sec. p. 203.

πασῶν φησιν αὐτὸν ἁρπαγῆναι νυμφῶν [*ὁ δὲ Ἀπολλώνιος ὑπὸ μιᾶς*[1]]. Conspirant igitur scholiastae in operis Nicandrei titulo et in re[2] (nam etiam Antoninus p. 225, 19 ab omnibus nymphis Hylam raptum esse narravit), discrepant in libri *ἑτεροιουμένων* numero. Utri maiorem habebimus fidem? Antonini editores adhuc Apollonii secuti sunt scholiastam: nescio an contrarium statuendum sit. Sed de his infra; nunc alterum contemplemur locum, de quo Knaackius l. l. p. 4 sqq. non recte ut opinor, disputavit. Antonini historiola septima decima de gruis metamorphosi testimonio hoc ornata est: *ἱστορεῖ Βοῖος ὀρνιθογονίας β'*. Eandem fabellam eiusdem auctoris addito nomine Athenaeus IX p. 393 e, omisso nomine Aelianus de nat. an. XV, 29 protulerunt. Muliercula vero Pygmaea de qua in fabula refertur, Antonino Oenoa audit, Athenaeo et Aeliano Gerana. Quaeritur ergo, utrum nomen Boeus usurpaverit. Knaackius ita argumentatus est: 'Athenaeus Geranam diserte ex Boeo affert, interpolator Antonini solum testatur fuisse fabulam in secundo Ornithogoniae libro. apertum est virum doctum, cum Antonini caput legeret, ex nescio quo libro in margine adnotasse, unde sibi scriptor hausisse videretur, securum de vero nomine apud poetam ipsum[3]. ... stat igitur gravissimum Athenaei testimonium' e. q. s. Quibuscum coniungas quae idem antea dixit: 'Vides has tres (sc. narrationes Athenaei, Aeliani, Antonini) ita esse comparatas, ut necessario ex communi fonte fluxerint. quod imprimis de Aeliano ceteroquin notissimo Athenaei compilatore (?) moneo. qui fons qualis fuerit, altioris est indaginis' e. q. s. Equidem de Athenaei testimonio[4] plane aliter sentio neque flocci id facio. Nimirum Boei narratiuncula tam foede contracta et excerpta invenitur apud Athenaeum, ut e compilatoris cuiusdam libro obiter inspecto eam arreptam esse ab hoc manifestum sit[5]. Quid quod fabellae extremae agglutinata

---

[1] Eruditionem haud mediocrem in scholio animadvertimus; itaque Schwartzius ('de Dionysio Scytobrachione' diss. Bonn. 1880 p. 31 ann. 1) suo iure e Scytobrachionis thesauro haustum esse contendit. Ceterum diversas aspicis manus commentatorum. Unus si scripsisset scholium, Nicandrum et Theocritum non disiunxisset. Extrema autem verba seclusi, manifestum enim est ea recentissimo assuta esse tempore ad genuinas vetustorum grammaticorum annotationes.

[2] E scholio Theocriteo XIII, 7 utpote corrupto vereor ne nihil concludere liceat, vere si correxit Hemsterhusius: *Ἀπολλώνιος ὁ Ῥόδιος Θειοδάμαντος, Νίκανδρος δὲ Κήϋκος* (sc. *τὸν Ὕλαν παῖδα γενέσθαι λέγει*), conspirat Antoninus p. 225, 13.

[3] De istis quae hic apud Knaackium intercedunt, infra verba faciam.

[4] Aelianus enim in censum non venit.

[5] Quem exscripserit Athenaeus, postea demonstrare studebimus, ubi de ipsius Antonini fontibus disseremus.

ibi est de metamorphosi testudinis terrestris annotatio a Boeo utique aliena, eidem tamen poetae ab Athenaeo obtrusa?[1] Unum nunc addam, quo litteratoris fides in universum commendari videtur[2]. Etiam una eademque si proditur fabula, inter varios variarum rerum auctores diligenter distinxit. Hoc in narrationes quae sunt de Byblide, cadit potissimum. Etenim ad Parthenianam (fab. 11) annotavit *ἱστορεῖ Ἀριστόκριτος περὶ Μιλήτου καὶ Ἀπολλώνιος ὁ Ῥόδιος Καύνου κτίσει*, ad Antoninianam (fab. 30) *ἱστορεῖ Νίκανδρος ἑτεροιουμένων β'*. Tantum interim de fide ascriptionum.

Iam de origine breviter videamus. Proficiscendum autem est a scholio omnium locupletissimo, quo quasi alienam ostentare doctrinam puduerit, litterator cui debeat eam, prodidit ad Antonini narrationem vigesimam tertiam: *ἱστορεῖ Νίκανδρος ἑτεροιουμένων α' καὶ Ἡσίοδος ἐν μεγάλαις Ἠοίαις καὶ Διδύμαρχος μεταμορφώσεων γ' καὶ Ἀντίγονος ἐν ταῖς ἀλλοιώσεσι καὶ Ἀπολλώνιος ὁ Ῥόδιος ἐν ἐπιγράμμασιν, ὥς φησι Πάμφιλος ἐν α'*. Dubitationi vix obnoxium est, quin de Pamphilo notissimo illo grammatico Alexandrino cogitandum sit. Porro maxime probabile cetera quoque testimonia[3] ad eundem redire grammaticum. Difficilior vero de inscriptione quaestio est libri Pamphilii, quam a scholiasta omissam esse dolemus. Et reapse metamorphosibus colligendis Pamphilum navasse operam testis est Galenus (vol. XI p. 792 sq. ed. Kühn.), qui illius de herbis libros (*τὴν περὶ τῶν βοτανῶν πραγματείαν*) ob aniles quas inseruisset fabulas et metamorphoses, acerbissime insectatus est. Itaque Wilamowitzius vir summus in libro qui inscribitur Antigonus von Carystus p. 171, scholium vel potius scholia Antoniniana ex illo Pamphili libro deprompta esse contendit[4]. At sunt quae repugnent eaque haud levia. Opus Pamphili non ita magnum fuisse videtur: constitit, quoniam Lobeckius[5] recte Galeni

---

[1] Claudit enim Athenaeus fabulam hisce: *γενέσθαι δὲ λέγει* (sc. *Βοῖος*) *ἐξ αὐτῆς* (sc. *Γεράνης*) *καὶ Νικοδάμαντος τὴν χερσαίαν χελώνην*. Nisi forte Athenaeus *λέγεται* dedit, Boei ornithogoniae *χελωνηγονίαν* ut ita dicam, contribuit. Miror Knaackium effugisse tale quid a Boeo, quod esset librorum eius consilium (cf. Knaackii l. l. p. 9), narrari non potuisse. Athenaei autem errorem ita explico, ut in libro quem satis neglegenter exscripsit, ad praecedentia relatum Boei nomen prave etiam ad insequentia pertinere sumpserit. Ceterum nomen exquisitius Oenoam Boeo haud indignum esse puto.

[2] Id Rohdius l. l. omisit.

[3] Imprimis Antoniniana dico.

[4] 'Von Belang ist es, dass es wieder Pamphilus, diesmal in seinem alphabetisch geordneten und sehr fabelreichen Kräuterbuche ist, der den Dichter (sc. Antigonus) citirt'.

[5] Galeni verba corrupta p. 794 v. 2 *ουτος μὲν ἐξέγραψε βιβλία* Lo-

verba emendavit, sex libris. Materia autem ita disposita fuit, ut Pamphilum inspicientium commodo summopere consuluisse manifestum sit, ut qui herbas secundum ordinem primarum et quidem trium primarum litterarum digesserit [1]. Quare procul dubio praesertim evenit, ut Pamphili libri a plerisque legerentur. Quod nisi accidisset, ira Galeni vana frustraque excitata foret. In singulis autem plantis ut vir vere grammaticus [2], sit venia verbo, securus de vera herbarum natura omnem posuerat diligentiam [3] Galeno contemptam in addendis enarrandisque nominibus [4] metamorphosibus quae ad plantas pertinerent [5], incantationibus sacrificiisve quibus superstitiosi homines colligentes herbas uterentur. Continuisse autem se solis herbis Pamphilus videtur [6]. Revertimur ad Antoninum. Quid Batto cum herbis? Longius progredi licet. Fere nusquam [7] apud Antoninum de plantae metamorphosi sermo est. Converti assolent homines in deos bestias lapides. Accedit aliud. Nonne satis notabile est a scholiasta titulum operis Pamphilii plane omissum esse, additum libri peculiaris numerum (*ὥς φησι Πάμφιλος ἐν α'*)? Id quod a scholiastae consuetudine abhorret neque eiusdem modi legi testimonia nisi ad Parthenii fab. 15 *ἡ ἱστορία παρὰ... Φυλάρχῳ ἐν ιε'* et fab. 33 *ἱστορεῖ... Νεάνθης β'*. Ibi librorum titulus

---

beckius (Aglaopham. p. 610) in *ἓξ ἔγραψε βιβλία* correxit, quibus optime tunc opponuntur v. 7. *ὁ δὲ Διοσκουρίδης ἐν πέντε βιβλίοις τὴν χρήσιμον ἅπασαν ὕλην ἔγραψεν κτλ.*

[1] Hae enim apud Pamphilum sese excipiebant herbae (cf. Galeni l. c. p. 797): *ἀβρότονον* (immo *ἁβρότονον*; cf. Schneideri ad Nic. Ther. v. 92 annot.), *ἄγνος, ἄγρωστις, ἄγχουσα, ἀδίαντον, ἀετοῦ βοτάνη.*

[2] p. 793, 15 *Πάμφιλος ὁ τὰ περὶ τῶν βοτανῶν συνθεὶς εὔδηλός ἐστιν κἀξ αὐτῶν ὧν γράφει γραμματικὸς ὤν.*

[3] *Μήθ' ἑωρακὼς τὰς βοτάνας ὑπὲρ ὧν διηγεῖται μήτε τῆς δυνάμεως αὐτῶν πεπειραμένος, ἀλλὰ τοῖς πρὸ αὐτοῦ γεγραφόσιν ἅπασιν ἄνευ βασάνου πεπιστευκώς.*

[4] *Πλῆθος ὀνομάτων ἐφ' ἑκάστῃ βοτάνῃ μάτην προστιθείς.*

[5] Urgenda enim sunt verba *εἶθ' ἑξῆς εἴ τις αὐτῶν* (sc. *βοτανῶν*) *ἐξ ἀνθρώπου μετεμορφώθη διηγούμενος*; deest igitur qua cuiuslibet generis metamorphoses ibi tractatas esse coniciamus significatio.

[6] Hoc enim colligo e verbis *ὁ δὲ Διοσκουρίδης ἐν πέντε βιβλίοις οὐ βοτανῶν μόνον* (sc. *ὡς Πάμφιλος*) *ἀλλὰ καὶ δένδρων καὶ καρπῶν κτλ.* Quod si verum est — neque ulla in herbis et plantis exinde enumeratis arbor reperitur — nulla omnino Antonini narratio huc facit.

[7] De arborum mutationibus agitur apud Antoninum fabb. 31, 32, 37; tangitur huius modi metamorphosis p. 222, 11 in fab. 22. Apud Parthenium fab. 15 de Daphne agitur. Nonne vero mirum quod ad notissimam de Smyrna narrationem Antonini (fab. 34) illud ǒ i. e. *οὐδὲν* additum est: 'non exstat testimonium'?

cur omissus sit et omitti potuerit, luce ut opinor, clarius est. Hausit scholiasta [1] ex notissimo scriptoris quem testabatur opere, quod aequalibus ita tritum et pervulgatum erat, ut *ὥς φησι Πάμφιλος ἐν α'* si daret, de librorum inscriptione neminem fore qui ambigeret, ei exploratum esset. Num cadit haec ratio in Pamphili de herbis [1] libros?

Proficiscendum est a Suidae tabula Pamphiliorum librorum, quam nimis sane contractam esse permoleste ferimus. Primo ibi loco Pamphili afferuntur libri *λειμὼν* inscripti, quibus varia comprehensa fuisse annotatur [3]. Atque ut dicam quod sentio, quamvis in mera me niti coniectura probe sciam, ex prato Pamphili et scholiasta noster et Athenaeus [4] et nescio quis recentiorum mythographorum *ξένας καὶ ἀτρίπτους* hauserunt *ἱστορίας* maximeque metamorphoses quae ad certas pertinebant regiones et urbes, ad instituta sacra ludosque deorum, ad nomina intellectu difficilia montium, fontium, lacuum similium. Quod ita a Pamphilo ut grammatico [5] factum esse sumimus, ut singulorum scriptorum testimonia diligenter apponeret. Neque iniuria ergo ab Urlichsio l. c. Favorini *παντοδαπῇ ὕλῃ* comparata est, in qua fuerunt ut Photii utar verbis [6], *διάφοροι ἱστορίαι καὶ τῶν κατὰ τὰ ὀνόματα θέσεων αἰτιολογίαι* [7] *καὶ τοιαῦτα ἕτερα.*

Hac probata coniectura quam firmioribus velim alii fulciant argumentis et constabiliant, Pamphilii operis quod crassis adhuc

---

[1] Itaque Phylarchi historias intellegemus libris viginti octo compositas. Dubitari potest de Neanthe. Müller F. H. G. III p. 2 Parthenii fab. 33 libris *τῶν κατὰ πόλιν μυθικῶν* attribuit. Quod num recte factum sit dubito.

[2] *Ἔστι δὲ ποικίλων περιοχή*; cf. commentationem Urlichsii in Musei Rhenani nov. ser. vol. XVI p. 254 sq.

[3] Qui quamquam Galeni aetate affatim volvebantur, tamen a Suida ne commemorantur quidem, qui praeter glossarum libros Pamphilo tribuit haec: *εἰς τὰ Νικάνδρου ἀνεξήγητα, καὶ τὰ καλούμενα Ὀπικά, τέχνην κριτικήν, καὶ ἄλλα πλεῖστα γραμματικά.*

[4] Wilamowitzius, l. l. commonstravit viam: 'Dass Pamphilos überhaupt solche Sagenquellen gesammelt hat, ist ja von grossem Belang z. B. für die Beurtheilung der entlegenen Poetencitate bei Athenaeus'. Habeo mirum quam aptum exemplum in promptu. Evolvas Athen. XIII, 573 E, ubi de Veneris fano quodam condito apud Abydenos fabula amatoria ope Pamphili ex eodem sumpta est Neanthe, cuius memoriam Pamphilo litterator Parthenianus (fab. 33) debuit. Apponam initium: *πόρνης δὲ Ἀφροδίτης ἱερόν ἐστι παρὰ Ἀβυδηνοῖς, ὥς φησι Πάμφιλος, κατεχομένης γὰρ τῆς πόλεως δουλείᾳ τοὺς φρουροὺς τοὺς ἐν αὐτῇ θύσαντας, ὡς ἱστορεῖ Νεάνθης* (recte ex *Κλεάνθης* corr.) *ἐν τοῖς Μυθικοῖς κτλ.*

[5] Cf. Hesych. ed. Maur. Schmidt. p. CLXXXVI, et supra p. 45 ann. 2. 4.

[6] Photii biblioth. cod. 161 p. 103, 1 ed. Bekker.

[7] Cf. Antonini fabb. 12, 13, 30, 31, 35 alias.

occultatum fuit tenebris, num qua alibi exstent vestigia, circumspiciendum erit [1]. In isto vero horreo eruditionis amplae et abstrusae fabellarum copiam κατὰ στοιχεῖον digestam fuisse ut credamus, facile adducimur [2]. Quod si verum est, cum de Batto iam in primo libro dictum fuerit, totius operis ambitus octo fere libros complexus esse videtur.

Ingentem autem Graecarum fabularum si contemplamur molem, quam centum mehercle libri continere non potuerunt, scholiastam Pamphili ope saepius destitutum esse non est quod miremur. Id scholiasta per ὄ compendium (i. e. οὐδέν) diserte aliquotiens significavit [3]. Neque ei quae quaesiverit, ipsa a Pamphilo suppeditata esse elucet e scholio, quod ad octavam aspersit Parthenii narrationem [4]: *ἱστορεῖ Ἀριστόδημος ὁ Νυσαεὺς ἐν α' ἱστοριῶν περὶ τούτων, πλὴν ὅτι τὰ ὀνόματα ὑπαλλάττει, ἀντὶ Ἡρίππης καλῶν Γυθυμίαν, τὸν δὲ βάρβαρον Καυάραν.* At tamen summopere cavendum est, ne Alexandrino imputemus grammatico socordiam litteratoris. Nam quod ad plerasque fabellas Parthenii et omnes Antonini quarum plures afferuntur auctores, nusquam verus fabulae auctor a ceteris qui similia rettulerunt, scriptoribus disiungitur, nolo vitio verti Pam-

---

1 Exstant ni fallor, haud pauca et in scholiis Vergilianis et in Lactantii qui vocatur, fabularum narrationibus. Atque de scholiis Vergilianis quamquam Pamphilum non nominavit, verum suspicatus est Knaackius l. l. p. 8 ann. 10, cuius verba apponam: 'ceterum haec una tantum e copia fabellarum remotissimarum, quas et Servius et scholia illa memoriae tradiderunt. persuasi mihi omnes ex transformationum collectione a viro docto Graeco confecta desumptas esse. praevalent hominum mutationes in flores arboresque' e. q. s. Lactantii autem narrationes commentarii cuiusdam in Ovidii metamorphoses conscripti reliquias esse ut Foerstero ('Raub der Persephone' p. 289 sq.) concedam, Graecorum poetarum velut Phanoclis, Hesiodi aliorum testimonia ibi laudata secundo quidem loco ad Pamphilum redire, nescio an non temere coniciam.

2 Eandem rationem in aliis libris Pamph. secutus est, etiam Phavorinus l. l. ita egit. Est autem in aprico, quam facile libris ita ordinatis uti potuerint omnes, quorum intererat auctores in singulis historiis dissidentes quam celerrime cognoscere.

3 Quod ab Herchero l. l. p. 307 cognitum est. Nota apud Parthenium quinquies (ad fabb. 10, 12, 30, 32, 36) apparet, apud Antoninum eam quater in codice legi (ad fabb. 14, 34, 36, 37; num ad fab. 6 fuerit olim, iam non iudicari potest). Omni igitur carent ascriptione Parthenii fabb. 17, 20, 21, 23, 24; Antonini fabb. 40 et 41. Quod scholiastae quam librariorum incuriae vitio vertere malim. Nimirum quod ista neglegentia plerumque in vicinis occurrit fabulis, ubi scholiasta dormitaret fuisse, meo iure concludo.

4 Cf. etiam Knaackii l. l. p. 6.

philo. Cuius libros scholiasta utinam cum eadem inspexisset industria, qua usus ad nonam annotavit Parthenii fabulam: *ἡ ἱστορία αὕτη ἐλήφθη ἐκ τῆς α' Ἀνδρίσκου Ναξιακῶν· γράφει περὶ αὐτῆς καὶ Θεόφραστος ἐν τῷ δ' τῶν πρὸς τοὺς καιρούς.* Quae verba acrius perpendentibus nobis aliquid nisi fallor, de Pamphili prato addiscere licet. Parthenii fabulam depromptam esse ex Andrisci rerum Naxiacarum libro primo, quem certe ipse numquam viderat, scholiasta asseverare non potuit, nisi e Pamphili compilatione Andrisci historiolam cognoverat. Alexandrinus igitur grammaticus Andrisci hoc loco insistens vestigiis de Polycrita rettulisse censendus est [1]. Multo vero generalius de Theophrasto dicitur *γράφει περὶ αὐτῆς καὶ Θεόφραστος κτλ.* Etiam hic Pamphilum multo diligentius egisse censebimus, qui sedulo etiam in notissimis fabulis singulorum auctorum discrepantias omnes distinxerit. Quem secutus scholiasta alteri auctori Parthenii de Byblide, alteri Antonini de eadem historiolam assignare potuerit [2]. Quid quod ad eas quibus nullae magis ab omnium temporum poetis frequentatae sunt fabulas, ad eas quas Antoninus de Meleagro et Iphigenia tradidit, scholiasta Pamphilum secutus ceteris omnibus omissis scriptoribus qui multo maiorem adepti erant gloriam, unum Nicandrum ut auctorem ascripsit? Unde scholiastae testimoniis nonne accrescit fides?

Iam eo unde initio profecti sumus, paulatim revertimus, sed nisi forte acta adhuc egimus, paulo melius accincti ad quaestionem de fontibus Antoninianae collectionis supra propositam. Atque in iis quibus singularis testis additus est narrationibus nescio an nemo non nunc nostram de vero auctore secuturus sit sententiam. Verum ad historiolas multas complures afferuntur auctores, ad nonnullas ut exposuimus, nullus omnino. Quaeritur ergo, num ibi unum auctorem praeponere ceteris liceat, et quo iure fabulas *ἀδεσπότους* certis poetis cum specie aliqua veri vindicare possimus. Quicunque testimonia Antoniniana cum Parthenianis comparaverit ut a re ordiamur generali, numerum auctorum et inscriptionum si respiciet, insigne inter utraque discrimen deprehendet: producuntur in Nicaeensis poetae collectione fabularum [3] viginti septem scriptores et tituli viginti duo, in libello An-

---

[1] Parthenii libellum ut fontem secundarium et valde turbatum a Pamphilo non respectum esse existimo. Id quod in fontes inquirenti Nicaeensis compilatoris tenendum erit.

[2] Cf. p. 44 diss.

[3] Omisi auctorum nomina praeposita fragmentis hic illic insertis, quoniam de origine eorum ambigi fortasse potest; cf. Rohdii l. c. p. 114 ann. 2.

tonini quattuordecim testes et duodecim inscriptiones. Ergo aut scholiasta in Antonino multo segnius officio suo functus esse aut ipse Antoninus pauciores adiisse fontes necessario censendus est. Sed ecce eadem nobis discrepantia ac multo evidentior quotiens idem in altero utro citetur testis perpendentibus occurrit. Nam apud Parthenium nullus testis plus ter nominatur[1], apud Antoninum vero solus Nicander vicies bis et solus Boeus decies[2]. Quid ergo? Aliam inter Antoninum et scriptores allatos, aliam inter Parthenium eiusque testes interesse rationem nonne luce clarius est? An temere ac fortuito converrentem undique fabulas Antoninum nescio quo casu in ornithogoniae scriptorem reconditum poetamque Colophonium maxime incidisse largiemur?

At ne quid callide simulasse videamur, sane Boeus semel[3], Nicander autem sexies[4] non unicus sed coniunctus cum aliis laudatur testis. Tamen cur hic quoque Nicandri et Boei existam assertor, dicam. Uno quo socordius scholiasta rem gessit loco excepto[5] poetae illi agmen ubique ducunt[6]. Quo nomine illud imprimis a quo supra[7] profecti sumus scholium conspicuum est. Neque enim persuadere mihi possum fortuito poetam Colophonium primum obtinere locum, vetustissimum autem Hesiodum posteriorem[8]. Quamquam cetera qua lege ibi se excipiant nomina, diiudi-

---

[1] Apollonius Rhodius (fabb. 1, 11, 28), Euphorion (fabb. 13, 26, 28), Phylarchus (fabb. 15, 25, 31).

[2] Knaackius l. l. p. 9 perperam Boeum octies appellari dicit; invenitur enim ad fabb. 3, 5, 7, 11, 15, 16, 22 ac deinceps tres.

[3] In fab. 20 cum Simmia Rhodio.

[4] Ad fabb. 4, 10, 12, 23, 25, 35.

[5] Ad fab. 35, quam tamen propterea e Menecratis Lyciacis (quae priora afferuntur) excerptam esse cum Schneidero l. l. p. 66 concludere nolim; odoramur potius scholiastae neglegentiam, qui ne titulum quidem addiderit librorum Nicandri.

[6] Boeus fab. 20; Nicander fabb. 4, 10, 12, 23, 25.

[7] Cf. p 44 diss.

[8] Wilamowitzius sane l. l. inveniendi fontis omnem praecidit spem: 'Wem die geschichte des Antoninus angehört ist auch nicht einmal zu wissen; Ovid (Metam. II) und der homerische Hermeshymnus (sed neuter in scholio laudatur) weichen grade in dem wichtigsten, dem locale, ab. ausserdem stehen in dem capitel des Antoninus noch ganz andere dinge, z. b. die liebe des Apollon zu Hymenaios und eine sehr nach den Eoeen schmeckende genealogie am anfang'. Mihi vero ea ipsa quae a viro summo velut alienissima reprehenduntur, potissimum Nicandrum redolere videntur. Sed de his infra. Etiam apud Parthenium poetarum nomina non sine consilio ordinata sunt, velut Apollonius (fab. 1 et 11) et Cephalo (fab. 4 et 34) ubi le-

cari nequit[1]. Accedit aliud, ex quo ipsa[2] Nicandri et Boei poemata ab Antonino compilata esse cognosci potest. Inspice sodes ordinem fabularum, quas nullo inter sese conexas vinculo tamen haud temere plerasque ita digestas esse ex hoce intelleges conspectu. Ex quarto heteroeumenon libro desumptae sunt fabb. 8, 9, 10 deinde 24, 25, 26, 27, 28, 29; ex altero ornithogoniae libro fabb. 18, 19, 20, 21; porro quae in unum heteroeumenon librum collatae fuerunt fabulae, etiam apud Antoninum iunguntur[3]: fabb. 1 et 2 (e tertio libro), 22 et 23 (e primo), 30 et 31 (ex altero). Sentisne quo tendam? Nonne de narrationum illarum origine quaestio extra omnem iam posita est dubitationem? Neque eo quod fabulae saepius aliter dispositae sunt, sententia nostra refutatur, immo etiamsi refragantia ne loquar timeam, quam maxime confirmatur. Etenim tantum abesse existimo, ut legentes de fontibus narrationum genuinis certiores fieri Antonini interfuerit, ut contra abstrusae eruditionis captans gloriolam diversas aliam aliunde petens miscuerit fabulas. Quam consulte enim in priore libelli parte Antoninus fabulas disposuerit (nimirum postea defatigatus esse videtur), ex hac tabula in qua singulis fabellis auctores allatos apposui, intellegitur:

fabb.	1 }	Nicander	fabb.	8 }	
„	2 }		„	9 }	Nicander
„	3	Boeus	„	10 }	
„	4	Nicander	„	11	Boeus
„	5 }		„	12 }	Nicander
„	6 }	? Boeus[4]	„	13 }	
„	7 }				

guntur, altero reperiuntur loco; Euphorio autem primus fab. 13. Ceterum valde dubito, an fab. 14 pro Ἀριστοτέλης scribendum sit Ἀριστόδημος (cf. fab. 8) aut Ἀριστόκριτος (vide fab. 11); cf. Cobeti var. lect. ed. sec. p. 14.

[1] Temporum ratio in afferendis scriptoribus si habita est, et Antigonus multo prius quam Wilamowitzius l. l. p. 171 contendit, vixit, et Didymarchi aetas adhuc prorsus ignota in universum quidem definitur. Tamen cum Nicander cui debetur historiola, ut solet, primum obtineat locum, Apollonii vero epigrammata extremum, quibus tactam magis fabulam quam narratam esse apparet, fortasse quo quisque de Batto fusius egit, eo prior a scholiasta collocatur. Sed satius est hariolationibus abstinere.

[2] Knaackius enim e fonte secundario Antoninianas opinatur haustas esse narrationes; cf. l. l. p. 5 sqq.

[3] Plus semel praeter Nicandrum et Boeum testis nominatur una Corinna, huius vero fabulae (10 et 25) non cohaerent.

[4] Fabulas 6 et 14 coniectura cur Boeo vindicaverim, postea exponam; manifestum autem nunc est, cur fab. 26 quarto quam altero ἑτεροιουμένων libro tribuere malimus; cf. p. 43 diss.

fabb.	14	?	fabb.	18	Boeus
„	15	Boeus	„	19	
„	16		„	20	
			„	21	
„	17	Nicander	„	22	Nicander

An aliter explicabimus, quod quasi ipse a qua nescio vetula compererit fabulam[1] neve ipse omnibus adiungere fidem credatur[2], crebrius addidit μυθολογοῦσιν istud (p. 204, 6; 218, 25; 219, 2; 229, 12) vel φασὶν (p. 203, 16) vel λέγεται (p. 218, 25)[3]?

Quae cum ita sint, fabularum unius et quadraginta quas Antoninus scripsit, triginta duas Boeo et Nicandro vindicamus. Quid faciemus ceteris novem? Earum ad duas alii auctores annotati sunt, reliquae omni carent testimonio[4]. Atque ut primo has quibus nullus testis ascriptus est, historiolas adeamus, duabus origo ni fallor, in fronte inscripta est. Videlicet fabulae 6 et 14 ita comparatae sunt, ut iam alii eas Boeo attribuerint[5]. Et plura istam suspicionem confirmant. Primum universa indoles habitus species fabularum, quae sicut ceterae Boei quas Antoninus servavit, situ quodam antiquitatis et rubigine obductae esse videantur. Simplicitate enim et mensura a Nicandreis multo longioribus magisque perplexis et dilatatis valde differunt. Tum etiam Boei proprietatem in illis facile agnoscas. Velut quod proprium fuit ornithogoniae auctori aves ex hominibus conversae quae αἴσιαι fuerint[6] monere, id in fabula sexta p. 207, 14 invenimus. Argumentum deinde huius de Periphante fabulae satis simile est argumentis fabularum 3, 15, 20 e Boeo sumptarum (quin etiam nonnullae redeunt locutiones[7]), denique ut collationem fabularum qua egregie coniectura

---

[1] Eodem artificio Pausaniam aliosque scriptores usos esse satis constat.

[2] Fortasse iam poetae Alexandrini quos Antoninus compilavit, ita egerant; cf. Riesii ad Catulli carm. LXIV v. 2 annotationem.

[3] Memoratu dignum est in fab. 19 qua de Iovis agitur ortu, λέγεται semel, paulo autem post μυθολογοῦσι bis positum esse.

[4] Cf. p. 47 diss. ann. 3.

[5] Fabulam 14 iam Kochius praef. p. XL Boeo vindicavit, quod nescivit Knaackius, cum l. l. p. 10 scriberet 'his (sc. Boei fabulis) de mea coniectura addo Munichi fabulam;' fabulam 6 primus quod sciam Otto Schneider Nic. p. 43.

[6] Cf. fabb. 11, 15, 19, 21; animadvertit iam Schneider l. l. Nusquam vero apud Nicandrum huius rei habetur ratio; genealogiae in quibus offendit Wilamowitzius (cf. supra p. 49 ann. 8), imprimis Nicandro peculiares sunt; cf. fabb. 30, 34, 38, 40 alias.

[7] Periphas et Munichus mirum quam similes sunt Hieracis et Clinis; cf.

stabilitur[1], omittam, in utraque historiola, qui fuit Boei mos, non modo principalis de quo agitur homo, sed tota familia in aves mutata dicitur[2].

Iam nobis res est cum ceteris fabulis *ἀδεσπότοις* 34, 36[3]; 37, 40, 41, quas omnium propemodum extremas non quod fontes reconditiores scholiasta difficilius erueret, sed propter pigritiam eius, quippe qui ad finem languerit, testimoniis non instructas esse nemo non concludet[4]. Quid vero si indoles earum narrationum et natura Nicandri prodere manum demonstrari potest? Quid in fragmentis Nicandreis si fabularum 24, 36, 41 exstant vestigia? Et exstant quamvis infirma et pusilla, tamen haud contemnenda pro testimoniorum penuria. Fabulam 34 Antoninus de Smyrna eiusque filio Adonide refert: a Nicandro constat de Adonide esse narratum[5]. Nonne de Smyrnae scelesto amore et metamorphosi decantata cecinisse eundem quivis colliget[6]? Byblidem certe (cf. fab. 30) secundo heteroeumenon libro versibus celebravit. Fabulae 36 argumentum ad nympham quae Iovem nutriverit spectat[7], scimus vero aliunde de eadem dei summi nutrice Nicandrum verba fecisse[8]. Denique extremam Antonini

---

p. 206, 25 sq. *Περίφας ... ἐβασίλευσε ... καὶ ἐγένετο δίκαιος καὶ πλούσιος καὶ ὅσιος καὶ ἱερὰ πλεῖστα ἐποίησεν Ἀπόλλωνι κτλ.* et p. 203, 19 sq. *Ἱέραξ ἐγένετο ... δίκαιος ἀνὴρ καὶ ἐπιφανής. οὗτος ἱερὰ Δήμητρος ἱδρύσατο κτλ.* et p. 219, 16 *περὶ Βαβυλῶνα ᾤκησεν ἀνὴρ θεοφιλὴς καὶ πλούσιος, ὄνομα Κλεῖνις*; cf. etiam p. 215, 12 et p. 205, 25, alia. Aliter sese habent repetitiones de quibus p. 37 diss. sq. diximus.

1 Quare fabulam 5 primo ornithogoniae attribuo libro.

2 Cuius de origine aliter sentit Schneider l. l. p. 66 frg. 61.

3 Cf. fabb. 5, 7, 11, 15, 20, 21; de Nicandro non idem statui licet.

4 De compendio ǒ iterum relego ad p. 47 diss. ann. 3.

5 Schol. Theocrit. V, 92 *τὴν ἀνεμώνην Νίκανδρός φησιν ἐκ τοῦ Ἀδώνιδος αἵματος φυῆναι.*

6 Nam parum refert in quo offendit Schneider l. l. p. 69, ab Antonino nihil de metamorphosi Adonidis dici. Id quod compilatoris neglegentiae tribuendum est, qui strictim omnino aut raptim de Adonide famam tangat; aliud enim nihil memoriae prodit p. 232, 13 quam *τὸ δὲ βρέφος Διὸς βουλῇ τρεφόμενον ὠνόμασαν Ἄδωνιν καὶ αὐτὸν Ἀφροδίτη πλεῖστον ἠγάπησε διὰ τὸ κάλλος.* Sapienti sat. Ceterum de Smyrna quae legimus, ab omnium quos sciam vetustorum scriptorum fabellis satis dissident. Proxime accedit Panyasis apud Apollodorum III, 14, 4. Cf. Hauptii ad Ovidii met. X, 298 et 503 annotationes.

7 p. 233, 4 sq. *Ῥέα ... κατέκρυψεν ἐν τῷ κευθμῶνι τῆς Κρήτης τὸν Δία, τότε αὐτὸν ἐξέτρεψεν Αἴξ* (immo *Αἴξ*) *νύμφη ὀρέγουσα κτλ.*

8 Schol. Arati v. 161 (apud Schneiderum frg. 114 incertae sedis) *τὴν*

narrationem de metamorphosi Teumesiae vulpis iam Bastius [1] et I. G. Schneider e Nicandro haustam esse arbitrati sunt Iulii Pollucis nixi testimonio [2] (in onomastico V, 38 sq. p. 199 Bekker), qui quae de quinque famosissimis canum generibus tradiderit, ad Nicandrum omnia redire diserte affirmat. Nolo quaestionem quam de titulo libri Nicandrei proposuit Schneider, hic resumere [3], etiamsi ut est nostra de Antonini fontibus sententia, hic quoque *ἑτεροιούμενα* quam aliud volumen poetae obscurissimi inspexisse eum statuere malo [4]. De Diomedis obitu heroisque sociis aut de Britomarti Nicandrum rettulisse quibus probari possit fragmenta ipsius desunt, tamen Antonini fabb. 37 et 40 indidem unde ceteras ortas esse vidimus, prodiisse contendo. Et de fabula 40 Schneider, qui etiam finem narrationis felicissime restituit (l. c. p. 70 ann. 1), idem sensit. Viri singulari eminentis doctrina et diligentia verba (l. c.

δὲ Ἀμάλθειαν αἶγα Νίκανδρος Διὸς τροφόν φησι. Coniciat ergo aliquis in Antonini contextu *νύμφη* quod vel ob alias causas suspectum est, uncis saepiendum esse, cf. quae secuntur opposita *τὴν μὲν αἶγα . . . τὸν δὲ κύνα κτλ.*

[1] Epist. crit. ed. sec. p. 200.

[2] *Νίκανδρος δὲ ὁ Κολοφώνιος τοὺς Ἰνδικοὺς κύνας ἀπογόνους εἶναί φησι τῶν Ἀκταίονος κυνῶν . . . ὥσπερ καὶ τὰς Χαονίδας . . . ἀπογόνους εἶναί φησι κυνὸς ὃν Ἥφαιστος . . . δῶρον ἔδωκε Διὶ κἀκεῖνος Εὐρώπῃ, αὕτη δὲ Μίνῳ καὶ Μίνως Πρόκριδι καὶ Πρόκρις Κεφάλῳ. φύσιν δ' εἶχεν ἄφυκτος εἶναι, ὥσπερ ἡ Τευμησία ἀλώπηξ ἄληπτος· καὶ διὰ τοῦτο ἀπελιθώθησαν ἄμφω, ὁ μὲν ἵνα μὴ λάβῃ τὴν ἄληπτον ἀλώπεκα, ἡ δ' ἵνα μὴ φύγῃ τὸν ἄφυκτον κύνα.* Eandem antithesin animadvertimus apud Antoninum p. 238, 4 *ἦν δὲ θεμιτὸν οὔτε τὴν ἀλώπεκα καταληφθῆναι ὑπό τινος διώκοντος οὔτε τὸν κύνα ἐκφυγεῖν διωκόμενον οὐδέν.*

[3] In ed. Nic. p. 125 sq., Schneideri autem coniectura de libris Nicandreis qui *Κυνηγετικὰ* vel *Θηρευτικὰ* inscripti fuerint, nimis incerta est, quam cui subscribere possimus.

[4] Restant sane difficilia quae enodare non possum. Nempe statuendum erit Nicandrum Cephaleae canis historia memorata etiam in ceterarum origines inquisivisse, ex quibus solae Actaeonis canes cum metamorphosi erili quodammodo cohaerebant. Porro apud Antoninum nihil de canis ipsius origine profertur; quare alterum utrum neglegentius egisse putamus, nisi forte Nicander bis eandem rem rettulit. Quod minime consuetudini Colophonii poetae adversari Alexipharm. v. 128 sq. et Theriac. v. 483 sq. et Antonini fab. 24 si inter se comparaveris, dilucide apparebit. Cf. Foersteri librum 'Raub der Persephone' p. 80 sqq. Quare quod p. 17 diss. *ἐν Ἀστερίᾳ* (pro *ἐν Δήλῳ*) Antonini p. 232, 18 Nicandro imputavimus, secundum scholium quidem Ap. Rhod. I v. 419 (frg. 5 ed. Schneider) *Νίκανδρος ἐν α' τῶν Αἰτωλικῶν* τῆς ἐν Αἰτωλίᾳ Ὀρτυγίας φησὶ τὴν Δῆλον ὀνομασθῆναι,* tamen quae paulo post secuntur *καὶ ἡ Δῆλος οὖν οὐχ ὡς μεμύθευται ἀπὸ τῆς Ἀστερίας μεταμορφώσεως τῆς Λητοῦς ἀδελφῆς κτλ.* ob id ipsum quia expressius refutantur, in eiusdem poetae heteroeumenis lecta esse videntur.

p. 43) apponam: 'Nicandro confidenter ascribimus fab. 40 ... praesertim cum illa fabula non tam *μεταμόρφωσιν* quam *ἀφανισμὸν* aliquem contineat, qualis in Nicandri *ἑτεροιουμένοις* ab Antonino servatis saepius quam in reliquorum auctorum videmus mentionem factam sive per se positi sive cum metamorphosi quadam vel cum aliquo alio artificio coniuncti'. Alia causa praesto est, cur fabulae 37 poetam Colophonium statuamus parentem. Est fabula de Diomedis post deletam Troiam fatis. Primo autem heros clarissimus Oeneo avo in urbe Calydone regnum restituisse, deinde in Italiam ad Daunium regem transmigravisse cum sociis traditur. Dauniis vero cum opem contra Messapios tulisset, filiam regis in matrimonium duxit e. q. s. Nicandrum non modo de Oeneo tertio *ἑτεροιουμένων* libro[1] sed etiam de eodem Daunio et iisdem Messapiis[2] quomodo in Italiam commigraverint terramque inter se distribuerint, secundo *ἑτεροιουμένων* libro fuse et copiose rettulisse exploratum habemus. Quid igitur propius abest, quam ut postea[3] Nicandrum etiam nostrae fabulae persecutum esse historiam arbitremur? Quae cum ita sint, simplicissima mehercle de Antonini fontibus expositio fieret et maxime credibilis, si etiam fabb. 33 et 39 eidem[4] cui ceteras omnes fabulas addiximus, poetae tribuere liceret. Non licere adhuc dolemus. Appinxit enim scholiasta ad illam de Alcmena fabulam (p. 220, 28) *ἱστορεῖ Φερεκύδης*, ad hanc qua de Arceophontis misera morte agitur, *ἱστορεῖ Ἑρμησιάναξ Λεοντίου*[5] *β'*. Et ut Pherecydis obsoletos libros a compilatore inspectos esse praefracte negemus[6], de Hermesianactis Leontio vereor ut

---

[1] Cf. schol. fab. 2.

[2] Vide fab. 31.

[3] Nicandrum enim in hac quidem re temporum rationem quandam habuisse facile intellectu est; ergo inter tertium quartum quintum heteroeumenon libros optio nobis datur. Fabula de Teumesia vulpe fortasse iam primo libro tractata est, si huc pertinet Nicandri frg. 63 *Ἀσπαλάθεια βοήρυτος*, quae urbs Taphiorum fuit, contra quos Amphitruo p. 237, 24 et 29 (*Τηλεβόαι* antiquum nomen Taphiorum fuit) bellum gesturus fuisse dicitur. Alias Antonini fabulas *ἀνωνύμους* certis Nicandreis libris vindicare non licet. Quartus quidem liber heteroeumenon e quo novem narrationes teste scholiasta Antonini haustae sunt, in censum venire vix potest Omnes fortasse eius libri narrationes excerptas habemus, neque Ovidius plus octonas aut nonas fabulas singulis metamorphoseon libris tractare solitus est.

[4] Boeus enim huc non facit.

[5] Sic correxi *Λεοντίῳ* quod divulgatur.

[6] Nicander autem certe alias de Hercule fabulas rettulit; cf. fabb. 4, 26, imprimis 29. Ac ne hoc quidem neglegendum, quod scholia in extrema parte libelli inveniuntur, in qua omnino multo neglegentior scholiasta fuit.

idem possit contendi[1]. Accedit quod nihil in fabula 39 invenitur, quo Nicandri ratio in memoriam nobismet quidem revocetur.

Habes iam meam de origine libelli Antoniniani sententiam, quam non tam concludendi necessitate quam ratiocinandi probabilitate fulcire licuit. Addo unum. Etiamsi Nicandri ipsius poema a compilatore excerptum esse diximus, si quis eo consilio Antoninum inspiciet, ut historiae fabularum daturus operam diligenter quae in quacunque re singuli poetae novaverint, distinguat et enotet, nunquam velim obliviscatur, quam crebro transformationum ista congeries sive scriptoris neglegentia[2] sive temporum iniuria breviata aucta deformata sit.

---

[1] Ex quo magnum frustulum desumptum ab Athenaeo et servatum est.

[2] Cf. p. 19 diss.; praecipitat subinde compilator velut p. 201, 25 postquam Ctesyllam ab Hermochare ad aram Apollinis saltantem aspectam esse narravit, continuo pergit καὶ ἐπιγράψας μῆλον ἔρριψεν ἐν τῷ ἱερῷ τῆς Ἀρτέμιδος, ἡ δὲ ἀνείλετο καὶ ἔγνω. Omisit ergo commemorare et puellam in templum Dianae post saltationem intrasse et Hermocharem amore incensum eam secutum esse. Simile peccatum p. 210, 8 sqq. iam Verheykius animadvertit (in ed. Kochii p. 159). Cf. etiam p. 215, 13 sq. quae nimis breviata sunt, et p. 236, 2 ubi frustra causam quaerimus, cur Britomartis a Cephallenibus Λαφρία appellata sit. Interdum Antoninus, ubi agatur fabula, plane oblitus est indicare (fabb. 7, 10, 21); omisit commemorare p. 228, 31 ubi Lycaon αὐτόχθων fuerit, neque prodidit p. 234, 20 et 21 ubinam Eurytio et Acastus habitaverint.

Neque satis gnarum regionum Antoninum fuisse cognoscitur e verbis p. 222, 31 sq. οὗτος (sc. Μάγνης) ᾤκησεν ἐγγὺς Θεσσαλίας καὶ τὴν γῆν ταύτην ἀπ' αὐτοῦ Μαγνησίαν προσηγόρευσαν οἱ ἄνθρωποι. Tamen de compluribus locis ita loquitur, quasi ipse cognoverit, aut si hoc nimium est, ita notos habeat et exploratos, ut Graecum eum vel provincia Asia natum esse si statuamus, a vero vix aberremus. Huc spectant p. 210, 17 sq. Πανδάρεως ᾤκει γῆς τῆς Ἐφεσίας, ἵν' ἐστὶ νῦν ὁ πρηὼν (rectius Πρηὼν) παρὰ τὴν πόλιν; idem p. 230, 1 ἐν τῇ Οἴτῃ nude posuit et p. 233, 12 εἰς Σίπυλον non addens ὄρος; addidit ὄρος ad Libanum p. 231, 19 sed ita ut τῆς Συρίας omitteret; cf. etiam p. 237, 26. Quamquam vero plerumque ad urbem nomen terrae apposuit, tamen suspicione non caret p. 218, 12 ἐν Θήβαις ταῖς Βοιωτίαις (sive cum Verheykio τῆς Βοιωτίας scribere mavis), quippe cum eiusdem oppidi nomen nobile sine terrae significatione usurpaverit p, 227, 15 et p. 231, 7 et 17. Sane eadem inconstantia occurrit p. 202, 17 ubi solum ἐν Καλυδῶνι et p. 233, 21 ubi dixit εἰς Καλυδῶνα τῆς Αἰτωλίας ἀφίκετο. Mesopotamiam autem et Pontum Antoninum non cognosse apparet ex p. 219, 16 τῆς λεγομένης Μεσοποταμίας περὶ Βαβυλῶνα πόλιν et p. 226, 19 ἀπῴκισε τὴν Ἰφιγένειαν εἰς τὴν Λευκὴν λεγομένην, cum non aliter de fabulosis locutus sit Pygmaeis p. 216, 29 παρὰ τοῖς λεγομένοις ἀνδράσι Πυγμαίοις. Alias hac phrasi non utitur. Ad Italiam spectant p. 229, 6 sqq.

Scripsit autem librum hunc non puerulis sed adultis; plagis enim esset dignus magister, qui fab. 5, 29, 34 non reticuisset, ut singulas res transeam obscaenas, quae leguntur p. 211, 8; 214, 22; 220, 32; 222, 12; 227, 30; 230, 10; 234, 22; 237, 4. Quocum consentiunt quae supra p. 17 et p. 50 disceptavimus.

Aetatem Antonini capite altero diss. p. 36 et 40 ad secundum p. Chr. saeculum revocavimus ob causas quas ex sermone petivimus. Etiam nomen 'Antoninus' celebratum imperatorum auctoritate ad idem nos ducit tempus[1], etenim dubitari vix potest, quin fuerit libertinae prosapiae. Ceterum neque in Graecarum neque in Latinarum inscriptionum corpore Antoninum Liberalem iuncta inveni nomina. Utrumvis non rarum esse vix est quod dicam. Ultra tertium vero p. Chr. saeculum ne progrediamur, etiam hoc impedit, quod tunc a compilatore ipsas Nicandri fabulas inspectas esse (num etiam Boeum ipsum usurparit, non aeque certo diiudicare ausim) non probabile est; cf. Schneideri Nicandrea p. 70 sqq. Neque sine iusta causa Hercher l. l. scholiastam Antonini iam tertio saeculo floruisse contendit.

---

[1] Quod 'Antoninus' gentilicii nominis loco traditum est, ad tertii saeculi initium magis quam ad finem alterius p. Chr. saeculi nos duci Buecheler me monuit.

Corollarium.

Lectiones codicis Palatini 398[1] vel editionis Xylandreae de quibus in editione Antonini Liberalis sua Westermannus aut nihil aut parum accurate refert[2].

p. 201, 31 ὤμοσεν, cf. Westermanni addenda p. 392

202, 1 συνώικιζε, punctum infra ω

22 ἐφορμᾶι

28 —ἔκτειναν, linea in ras.

203, 4 κουρητῶν

7 ἀποθνήισκει

11 παρακαλυδωνίοισ, punctum supra π

15 post λέγονται rasura exstat

16 δύο in ras.

17 φ·ασὶν

18 αὐτῶι ÷ ÷ ἄρτεμισ

19 ὀρνιθογονίαι, itidem omnia verba compos. exarata sunt, velut μυθολογοῦσιν, μεγαλόφρων, νεόφρων, μονογενής, alia

ἱέραξ bis, itidem v. 27 ἱέρακα et ἱέραξ v. 30

22 τεῦχροι, ι postea insertum esse videtur.

23 ἐξέλειπον, ο in ras.

24 ἐξαίσιον, αι in ras.

26 ἀ‑||τέχειν, sicut saepius librarius ν in fine versus significat

27 ἐπαμῦναι κἀκεῖνοσ

28 ἔπεμπέτε καὶ post τε pusilla ras.

204, 6 δρυοπίδοσ, ι in ras.

8 χραγαλεὺσ post λ ras.

15 ἐφ' ἧσ, punctum supra φ

17 προστάξαντοσ, ρ in ras.

18 ἀβρακιώταισ, Μ supra ἀβ

19 τόργον

p. 204, 21 φαλαίκωι alterum α in ras.

24 ποιῆσαι

25 ἐποιῆσαι, Μ supra ἐπ δ'. εὐνομίαν

26 καὶ postea additum, sed a pr. manu; ι in ras.

27 ἄιδεσθαι, inter α et δ ras.

205, 2 φάλαικοσ, secundum α in ras.

3 margini ascriptum περὶ φαλαίκου

4 προφῆιναι

8 ἱλάσασθαι, αι in ras.?

10 ἀμβρακίαν τὲ

11 αὐτο in ras. in qua accentus circumflexus supra ο cognoscuntur et iota ascript.

19 ἀμβρακιῶται, αι in ras.

26 ἄνθρωποι, punctum infra α

206, 1 εἶχε, ει num in ras.?

2 αἰγυπιῶι //δ' ἦν//

5 folium codicis in voce αἰγυπιὸς litteris αἰ finitur, proximum folium codicis adhuc servatum incipit p. 209, 15 in voce ἰταλίαι a litteris ταλίαι

14 ἀνίησιν Xylander

23 ταυτόν Xyl.

207, 12 τὸ ἱερὸν σκῆπτρον cod. teste Xylandro

208, 11 ταῦτα Xyl.

24 Δελφων Xyl.

209, 2 γένος μὲν ἔχων Ἀξίου Xyl.

15 ἔκτισαν, ι in ras.

21 ὅτε

ἄιδοιεν, inter α et δ parva ras., cf. p. 204, 27

---

[1] Ut codicem bibliothecae Palatinae clarissimum inspicere possem, insigni liberalitate Caroli Zangemeisteri factum est, cui hoc quoque loco gratias ago debitas.

[2] Librarium in annotationibus marginalibus maiusculas adhibere litteras semel moneo.

p. 209, 22 ἐπήχλυεν, η postea insertum esse videtur
ὑπήκουεν
24 ἑλικῶν
26 κορυφὴν, infra κο ras.
29 νήσσα
31 Νίκανδροσ, supra κ ras.
210, 1 ἐκτόπωσ, extr. littera in ras.
2 ἐκλιποῦσαι, prius ι in ras. ex ει ut videtur corr.
3 ὄρεσι, σ in ras.
5 ταῦτα χαλεπήιναισ, sub α prioris vocis extremo punct.
7 in mg. lineola obliqua
9 τρεῖσ — ἐμβαλοῦσαι
11 ἀδελφαῖσ, prius α in ras.
13 ὄρεσι
14 ὄρνιθασ, imprimis ρ et ι in ras.
15 ἄυτ //ῶν
βύξα
17 πανδάρεωσ, extrema syllaba in ras., non aliter p. 211, 5 in πανδάρεων
18 πρηών, η in ras.
20 εἰσενέγκηται, η in ras.
ἐγένετο, antea supra vers. ras.
24 θεοὺσ, ε in ras.
26 μεμψαμένη, prim. μ in ras.
29 ἐκποιῆσαι, η in ras.
ἐξυφῆιναι
211, 9 κἄκ
10 ἐξερ//, spat. duar. litt. in ras.
11 οἰκία, alterum ι in ras.
13 χελιδονίσ, alterum ι in ras.
15 τον
21 συμφορᾶι, inter α et ι ras.
23 πανδαρεου, eadem forma sine accentu etiam v. 25
24 ἐνελωβᾶιτο
26 πολυτεχνον
28 αὐτηκατεφράσθησαν, κ in exigua ras.
212, 1 ἐπεσεῖν, M supra ἐπ
5 ἀηδόνος, prius ο in ras.
8 μεταβαλὼν, ω in ras.
in margine ση (= σημειοῦ)
9 οὗτος ex αὐτος corr.
13 τὸν ἴτυν, ον postea additum a pr. manu
26 μέγά τι
214, 1 κυκνείη, ι in ras.
2 ἀροτοῦ, supra alter. syllab. ras.
3 φυλίο̆
6 δέοσ, σ in ras.
αὐτῆ — ζεὺσ
11 πλεον, sub ο punctum
15 ὁμόγνι — ον, ι et linea in ras.
18 in margine ση
30 δ' εἰς
34 iterum margini ascriptum ση
215, 6 ἀσπαλις
ἐχρήμνων, η postea additum; cf. p. 209, 22
8 in mg. ο̆
11 μαγαλήτορα, η postea additum ut videtur
13 δικαίους ex δικαίου corr.
16 περιΐδεν perspicue scriptum
18 ἐπεὶ ex ἐπὶ corr.?
19 αἴθυια, alterum ι in ras.
23 inter δύο et ὄρνιθες exigua ras.
καὶ ἔστιν
25 ἐρωιδιῶι
26 ὠιά
τὸν δρῦν, ο in ras.
27 κνίπασ
καὶ εἰσὶν
ὕληι, ι postea additum
28 αἴθυια, alterum ι in ras.
λίμνασ τὲ
216, 3 κων, supra ω punctum
4 πλεῖστον, accentus fere evanuit
οτι
6 συνῆλθον, ο in ras.
εἰλαπίνασ, ει in ras., videtur autem postea esse additum
7 ἐκάλεσεν
9 ὀ ÷ φθαλμὸς, φ postea additum
10 καλῶιεν, κ in ras. et supra ι punctum
11 ἔλεγεν
17 δαῖτα, supra αι ras.
μετὰ τῶν, supra α et τ ras. duorum autem accentuum vestigia etiam nunc apparent
18 ποιμένων, infra ε punctum
21 ἐξύβρισε//πρὸς
25 ἐνείκεσεν, alterum ε in ras.
26 ὁ δὲ, ὁ in ras.
ἐποίησεν
217, 4 ἔτεκε, inter τ et ε parva ras.
πυγμαῖοι πάντεσ, υ in exigua ras.; in maiore litura εσ
7 ἐποίησεν
8 αὐτῆι τὲ
ad marginem apposita sunt ση αἰτία δι' ἣν γέρανοι (vel -ος) τοῖς πυγμαίοις πολεμιαι·
19 ἐποίμαινεν
33 ὑπερμήστρα, inter η et σ ras.
218, 1 in mg. lineola obliqua appicta est
4 ἴδεν

p. 218, 7 ἤτισέφυσεν
17 πρυέκρουσε
πρὸσ//τὴν
21 ἀπόλλων — δὲ
22 ἐποίησεν
23 μελετᾶι πέτεσθαι
26 τεκεῖν ῥέαν, extrema prioris vocis littera postea addita est
27 ὁρᾶιται
219, 4 μέλιτται, αι ex οι correctum esse videtur
13 αἰγωλιοί, γ in ras.
καὶ εἰσίν
25 ἀποκτενεῖν ex ἀποκτείνειν corr.
.τὰ
26 κα, τὸ
27 in marg. iterum ση
.ὁ
28 καὶ · κλεῖνισ, λ et alterum iota in ras.
31 αὐτῶι
220, 2 τ' - ἀπόλλωνι
3 προσέτασσον, ε fort. postea additum, τ in ras.
καὶπὶ
ὁ κλεῖνις, ὁ et sec. ι in ras.
ἅρπασοσ, ο in ras.
6 ἐνέβαλεν
8 ἐπεβοῶντο prima litt. in ras.
13 ~ ἤ, linea in ras.
14 ἐποίησεν
15 οὗτοσ ἐστὶ
17 μέγασ τὲ
22 αἰγιθαλλος accentus supra antepaenultimam erasus esse videtur
26 θρᾶισσα, ι in ras.
221, 1 θῆρεσ, η fort. in ras.
9 ἄρησ, η fort. in ras.
12 στῦξ
15 λαγῶσ
16 γύπα
30 ἄισμασι
31 τοῖσ, ο fort. in ras.
32 λύραι, ι in ras., margini ascripta sunt ση τίσ ποιμενικὴν (ΠΟΙΜΕΝΙ) σύριγγα συνέθηκεν· καὶ λύραι ἐχρήσατο πρῶτος·
222, 5 ἐπεῖναι, αι in ras., sed rasuras pusillas iam non annotabo
8 ἀπέρριψεν
223, 1 γῆν, margini addita: ση πόθεν τῆι μαγνησίαι χώραι τοὔνομα·
.ἐ
7 αἴ · φύλαττον

p. 223, 9 πόρτιασ, ι postea insertum
14 λαρίσσησ
24 εἰσελασασἄντικρυσ
ἰταλίασ
27 παρελαθείσασ inter α et θ erasum esse videtur σ
29 χαλεπῆι νασ
31 παροδευόντων
224, 3 αὐτὴν
7 ἀσκαλαβὸσ, idem accentus in eadem voce v. 11. ος in ras.
αὔτισ, ι in ras.
δη
8 πιθάκνην,·μήτηρ
13 δημῆτρι:
14 μητι//χη
÷Γ
15 ΕΤΕΡΟΙΩΝΑ: cf. Hercheri commentationem Herm. vol. XII p. 306
ὠρίωνος, idem spiritus in eodem nomine v. 17 et v. 26
19 ἐξυφαίνειν, prius ι in ras.
20 ἀπέθνησκον
21 τὸν ἀπόλλωνα
22 ἐριουνίουσ, ουνι in ras.
26 αἵ δ' ὥσ
225, 2 ἅιδησ
8 κόροι τὲ
13 ἴτυποσ'
22 ἐξεραυνᾶι
226, 4 θησέωσ, ω in ras.
5 in margine ση
κλυταιμήστρα
6 αυτη, supra α punctum
8 στρατεία
9 προ//εσήμαινον
11 σφαγι÷ον, γι in ras.
12 ἀριστεῖσ, ει in ras.
14 et 18 ἔφηινε
προσωτάτω — τῆσ
15 margini ascripta παρὰ τίνα ἦλθεν ἰφιγένεια
16 in margine leguntur πόθεν τῶν ταύρων τῶι ἔθνει, τὸ ὄνομα
18 in mg. lineola obliqua
227, 3 ζῶια
4 ἱέραξ, cf. p. 203, 19
6 ἕλλωιδ'ἡρακλῆσ, in priore voce alterum λ in ras.
μυγαλῆι
9 ἠφάνισεν
.ν
11 αἴτ·ην, α in ras., margini ascripta sunt ση τὸν καιόμενον ὑπὸ τὴν αἴτνην τίνα λέγει.
14 γαλινθιάσ, prius ι in ras.

p. 227, 17 ἤπειγεν
18 μο͂ιραι
23 ἀλκμήη
καταλέλυνται, ν in ras., supra ν perspicitur accentus circumflexus
26 ὠδῖνεσ (sic!)
28 τοὺσ θεοὺσ ex τοισ θεοισ corr.
ἐξηπάτησεν
30 ὤτων, in margine ση
32 ὤικτειρεν, ει ex ι corr.
228, 13—18 in margine ση τὸ ὅλον
24 ἐπεχείρησε'ν
οἰκτειρασαι·
.αν ἀπ'
25 ἤλλαξ, ανθρώπων
229, 1 ἰταλίασ, itidem v. 7
οἱ
2 ἐνταυθοῖ χοῦντασ
3 ἔποικον, ἰλλυριοί·
14 χο—ρευοῦσασ
17 ἐπιπλέον, supra ι accentus gravis erasus
21 πᾶν ὅσον ἦν πλεῖστον
230, 6 χ̄λεμυσ, M supra μ, in margine χ̄ελώνη
7 χλεμμυν
8 χλεμυοσ
26 ἐχαλέπη'ναν
31 τὸ//νθησέωσ
231, 1 προέλεγεν, supra ρ punctum
4 ἀποθνήισκει, itidem v. 8
5 τῶν ἀργείων
6 καὶ σὺν αὐτοῖσ
14 in mg. linea obliqua
17 θήβ///υ, ante ν spatium duarum vel trium litter. exstat
18 ὠρειθυίασ, in mg. ὄ
21 ἐμηχανᾶ'το
23 ἐξέμη'νεν
30 τη στρωμνῆσ
232, 3 ἐκύησε ex ἐκύλισε corr., σ in ras.
13 ὠ ÷ ÷ νόμασαν
14 ἄδωνιν
25 σή'ναντεσ
30 in margine πόθεν τῆι λυκία χώραι τὸ ὄνομα
233, 4 in mg. ὄ
10 χρύσεον, ο in ras.
13 διὸσ — καὶ
19 in mg. ὄ
21 δ' εἰσ
25 folium codicis desinit litteris παραγενόμε, non duo autem folia, ut Westermannus annotat, sed unum ex codice excidit

p. 234, 5 ὅτι ἰλλυριοὶ Xylander
235, 3 τὸ Νικοκρέοντοσ Xyl.
12 codex rursus incipit in voce πλεῖστα a litteris στα
17 ἀνοικτρῶσ
20 ἀποθνήσκει
31 και
236, 4 οἱ δε
7 ἀλιεῖ ÷ ÷ ἀνδρομήδει
8 ἐνεχείρισεν
11 ἀφαιαν
12 τὸν δε τόπον
13 ὠνόμασαν — ἀφάην
ἰρά, supra ρ scriptum ε
15 δηϊονοσ
θορικωι
18 ἠῶσ
20 ἐθελῆσαι
21 εισαπέστελλεν
26 ὁμολογεῖ — καὶ
28 δα'δα, inter α et δ ras.
29 παρήνεγκεν
32 αὐτῶι, supra ι erasum esse videtur signum quo librarius verba margini ascripta huc retulit, quibus praeposuit L
237, 2 ἀπέθνησκον
10 θορικον
11 αὐτῶικυνηγέτει, ἐ suprascriptum est alteri iota
14 συνέφερεν
16 αὐτHι, H in ras.
ἐθελῆσαι
19 ἢ αὐτὸς
22 ἐπὶ ex ἐπεὶ ut videtur corr.
25 καδμείοισ, μ postea add.
ε
27 ἠρπάζετο· ο in ras.
30 καὶ οἱ δ' οὐκ
238, 1 τούτοισ, τοι in ras.
2 ἔλεγεν
4 ἦν δὲ θεμιτὸν οὔτε τὴν ἀλώπεκα in margine ascripta, post ἀλώπεκα inserenda esse librarius sedulo significavit.
τῆ//
5 καταληφθῆναι, primae tres syllabae in ras. fere evanuerunt
8 ad finem subscriptio ἀντωνίνου λιβέραλισ μεταμορφώσεων συναγωγή:

In fabularum Antoninianarum laterculo quem Westermannus dedit p. 200 sq., has animadverti discrepantias:

p 200, 1 μετα
2 ἵέραξ, ἵέρακα

p. 200, 4 *βουλισ*
8 *λαμία ἡ σύβαρισ*
19 *φιλαιοσ*
201, 2 *κλεινίσ*

p. 201, 3 *ἀρτιμίχη*
5 *λαγῶν, γύπα*
9 *τυφ.ῶν*
10 *ἲέρακα*

Nondum vero prior fabularum index divulgatus est, qui praecedit et legitur in codicis folio 189 b (cf. script. rer. nat. Graec. ed. Keller praef. p. IX).

Quem quamquam satis est mancus et decurtatus, ne quid desinam, apponam:

ἀντωνίνου λιβεραλις | μεταμορφώσεων, συναγωγή

Post hanc inscriptionem duae haece paginae secuntur:

α' — *πελιάσ*
β' — *μελεαγρίδεσ*
γ' — *ἲέραξ*
ε' — *αἰγυπιοί*
πῶϋγξ
αἰγιθαλλόσ, supra alter. *ι* eras. accent.
ς' — *αἰετόσ*
φήνη
ζ' — *ἄνθοσ*
ἐρωιδιόσ
σχοινεύσ
ἄκανθοσ
ἀκανθυλλίσ
ὄκνοσ
κορυδόσ
θ' — *ἡμαθίδεσ*
κολυμβίσ
ἴυγξ
κεγχρίσ
κίσσα
χλωρίσ
ἀκαλανθίσ
νῆσσα
πιπώ
δρακοντίσ
ι' — *νυκτερίσ*
γλαῦξ
βύσσα
ια' — *ἁλιαιετόσ*
ἀηδών
χελιδών
ἀλκυών
ἔποψ
πελεκάυ
ιβ' — *κύκνοι*
ιδ' — *τριόρχησ*
πιπω
ὀρχῖλος
αἴθυια
ιε' — *γλαῦξ*
βύσσα
χαραδριόσ
νυκτικόραξ
ις' — *γέρανοσ*
ιη' — *ἡέροποσ*
ιθ' — *λάϊος*
κελεόσ
κέρβεροσ
αἰγωλιόσ
κ' — *ὑπαίετοσ*
κόραξ
πίφιγξ
αἰγιθαλλόσ (iterum supra sec. *ι* erasus est accentus)
ἅρπη
ἅρπασος
κα' — *στῦξ*
λαγῶς
γῦψ
ἴπνη
κβ' — *κεράμβυξ*
κδ' — *ἀσκαλαβόσ*

Hic desinit folium codicis, sequitur autem in insequenti folio alter laterculus integer et plenus.

SENTENTIAE CONTROVERSAE.

I. Euphorionis fragmentum CLXIII (ed. Meineke) sic corrigo: *ἀελλόποδος θ' ἁρπυίας*; traditum est *αἰθαρύτας*.

II. Euphorion Iphigeniae immolationem versibus celebravit; huc pertinent fragmenta LXI, LXIX, LXXX, LXXXI, CXXIX.

III. Ovidii met. VI, 363—365 delendi sunt.

IV. Chariton hiatum vitavit; itaque I, 1, 6 non recte a Cobeto suppletum *ἵν' ἑκά ⟨τερος τῷ⟩ ἑτέρ⟨ῳ⟩ ὀφθῇ*, sed legendum est *ἵν' ἑκατέρῳ τὸ ἕτερον ὀφθῇ*.

V. Conon in narratione XXXI (p. 137, 14 ed. Westermann) scripsit *δεδιὼς τὸν ἐκ λόγων ἔλεγχον*; ineptum quod divulgatur *τὸν ἐκ λόγων θρίαμβον*.

VI. Plut. de educ. cap. 19 integrum fere comici cuiusdam latet fragmentum, sic fere restituendum

. . . . . . καταζεῦξαι ⟨νέους⟩
Πρὸς τὰς ἐπιτιμήσεις δυσηκόους γάμῳ·
Δεσμὸς γὰρ οὗτος τῆς νεότητος ἀσφαλής.

VII. Parthenii fab. XXIII ad finem mutilata est.

VIII. Pindari carm. Isthmium III non e duobus carminibus conflatum est.

IX. Nicandri Aetolica non pedestri oratione, sed hexametris scripta fuere.

X. Alciphron epist. LIV, 2 scripsit *⟨τοῖς⟩ λίθοις ἐχρῶντο*.

XI. Ionem Euripideam anno 412 a. Chr. n. actam esse Enthoven (de Ione fab. Eur. quaestiones Bonnae 1880 p. 1 sqq.) non demonstravit.

XII. Catullus anno 54 a. Chr. n. obiit.

VITA SCRIPTORIS.

Paulus Eugenius Oder Berolini natus sum die XVII mensis Iulii anno huius saeculi LXII patre Gustavo matre e gente Kahle. Fidem profiteor evangelicam. Elementa postquam in ludo litterario didici, autumno anni LXXIII adii gymnasium Friderico-Werderanum Berolinense, quod tunc Bonnellii nunc Buechsenschuetzii auspiciis floret. Vere anni LXXX maturitatis testimonio instructus Bonnam me contuli studiis philologicis daturus operam. Vnde post sex menses abii ac per duo semestria Friburgi per tria Berolini moratus sum. Deinde ad hanc litterarum sedem redii, ubi per quinque semestria philologiae quantum valetudo admodum infirma concedebat, fui studiosus.

Docuerunt me viri clarissimi Buecheler, Curtius, Furtwaengler, Grimm, Hense, Holtzmann, Huebner, Kekulé, Kirchhoff, Luebbert, Menzel, Neuhaeuser, Nissen, Schaefer, Schmidt, de Treitschke, Vsener, Vahlen, Windelband. Friburgensis seminarii philologorum sodalibus liberaliter me ascripserunt Hense et Schmidt; Bonnae vero insigni Buecheleri et Luebberti benevolentia factum est, ut in seminarium philologicum regium reciperer, cuius sodalis ordinarius per bis sex menses fui; seminario historicorum me admisit Schaefer. Exercitationibus suis ut interessem, benigne concesserunt epigraphicis et philologicis Buecheler et Huebner, archaeologicis Furtwaengler et Kekulé, philosophicis Windelband, palaeographicis Menzel. Quibus viris omnibus optime de me meritis gratias ago quam maximas; imprimis autem Buecheleri, Luebberti, Vseneri memoriam pientissimo semper animo colam.

3 2044 055 060 354

The borrower must return this item on or before the last date stamped below. If another user places a recall for this item, the borrower will be notified of the need for an earlier return.

*Non-receipt of overdue notices does **not** exempt the borrower from overdue fines.*

Harvard College Widener Library
Cambridge, MA 02138 617-495-2413

WIDENER
SEP 1 0 2001
BOOK DUE

WIDENER
AUG 0 2 2001
CANCELLED

Please handle with care.
Thank you for helping to preserve library collections at Harvard.